751032

3330

Josephi Andrásy

Francisci Nagy

Nagyiványi 1843ik

NAGY IVÁN

ORSZÁGOS KÖNYVTÁRI KÖZPONT
- Nem adható el ! -
BUDAPESTI EXLIBRISE

Josephi Nagy.

Joannis Nagy.

Petrus I. 64.

COMPENDIOSA
CHRONOLOGIA
HVNGARIÆ.*
SIVE
CATHALOGUS AUT SERIES
APOSTOLICI REGNI
HUNGARIÆ
REGUM.
CUM
BREVI SYNCHRONISMO RERUM AB
IIS, VEL TEMPORE EORUM GESTARUM.

Una cum Appendice, seu quindupli-ci Cathalogo: *primo*: Palatinorum R. H. Locumten. & Pro-Palatinorum. *secundo:* Judicum Curiæ Regiæ. *tertio:* Banorum Croatiæ, Dalm. & Sclavoniæ. *quarto*: Primatum R. H. seu Archi-Episcoporum Strigonienſium. *quinto:* denique Episcoporum Agrienſium.

OPERA, & IMPENSIS
REVERENDISSIMI ac CLARISSIMI
DOMINI
MICHAELIS AMBROSOVSZKY,
Canonici Agrien. Ab. B. M. V. de Egreſs.
Præpoſ. S. Petri; Archi-Diac. Szabolcsenſis,
SS. Theolog. Doctoris &c. &c.
Superiorum Permiſſu impreſſa.

AGRIÆ, Typis FRANCIS. ANTON. ROYER,
Epiſcopalis Typographi. 1758.

NAUK IVAN

AC
GRATIOSISSIMIS HONORIBUS
EXCELLENTISSIMI
ILLUSTRISSIMI
AC
REVERENDISSIMI DOMINI
DOMINI
FRANCISCI
È COMITIBUS
BARKÓCZY
DE SZALA;
Perpetui in Pálócz, & Tavarna; Dei, & Apoſt. Sedis gratia Epiſcopi Agrienſis; S. C. Regiæque Majeſtatis actualis Intimi Status Conſiliarii; Inclyt. Comitatuum Hevesſ & Exter. Szolnok articulariter unitorum Supremi, ac Perpetui Comitis; nec non Exc. Tabulæ Judiciariæ Septemvir. Aſſeſſ. &c. &c. &c.
DEBITÆ VENERATIONIS
ET
HOMAGIALIS OBSERVANTIÆ
CAUSA
HUMILLIME
DICATA.



NAGY IVÁN

AD LECTOREM.

PRodesse, non obesse; placere, non displicere cupientes hisce nostris exiguis lucubrationibus Nobili Juventuti Hungaricæ (ut jam in alio, quod correctum, & in quibusdam a nobis auctum reimprimi curavimus, Opusculo, cui Titulus: Mausoleum Potentissimorum Regum Hungariæ &c. *præfati sumus) te Erudite Lector! quisquis es? majorem in modum obtestamur: quatenus memor fragilitatis humanæ, & inopiæ nostræ, omnes defectus, seu verborum, seu rerum, seu nostra, seu Typographorum incuria commissos, pro tua singulari humanitate, benevolentia, & eruditione, vel corrigere, & emendare, vel ad minus patienter ferre, ac dissimulare non graveris, parem a nobis, & aliis, ubi opus fue-*

fuerit, benevolentiæ, aut indulgentiæ affectum indubie consecuturus; nam juxta commune diverbium, aut potius Scripturæ Sacræ sensum: qualem quis sibi alium optat habere, talem se ei exhibeat, est necesse. Amicitia solis verborum officiis sicut non nascitur, ita nec conservatur melius, quam opere. Amare *præterea nihil est aliud, juxta S. August. lib. 14. c. 14. de Trin. & Arist. 2. Rhet. cap. 4. quam* velle alicui bonum, illius, non sui gratia; *Vale itaque Lector benevole, & nos te amantes, reama.*

CoM-

COMPENDIOSA CHRONOLOGIA HVNGARIÆ SIVE CATHALOGUS AUT SERIES APOSTOLICI REGNI HUNGARIÆ REGUM:

Cum brevi ſynchronismo rerum ab iis, vel tempore eorum geſtarum.

SANCTUS STEPHANUS Primus Rex, & Apoſtolus Regni Hungariæ, juxta unanimem ſenſum, & traditionem Scriptorum domeſticorum, ac inde jam fere certam, & indiſputabilem ſententiam,

ac totius Regni assensum, fuit Nepos *Toxi* Ducis Gentilium adhuc Ungarorum (quem Scriptores exteri etiam Regem appellant) in Vngaria nati, & educati, descendentis ex sanguine *Arpad* Ducis, filii *Almi* Ducis in via mortui, qui fuit unus, idemque præcipuus ex septem illis Ducibus, seu Capitaneis, quorum ductu & auspiciis, altera vice proruperunt Ungari ex Scythia in Pannoniam circa annum Christi 743.

Toxus iste duos habuit Filios; Geyzam unum; alterum Michaëlem; quorum uterque expost, utpote post obitum Genitoris sui fidem Christianam suscepit. Ex *Geyza* natus est S. Stephanus Anno Christi 973. ut mox dicemus. Ex *Michaële* vero nati sunt: Vazul; & Ladislaus Calvus. *Vazulem* Gizela uxor Stephani Regis A. 1037. oculis, & auribus privari fecit, ne coronam præriperet Petro Alemanno, aut Veneto, cognato suo, contra, quam Stephanus volebat. *Ladislao Calvo* tres superstites manserunt Filii: Andreas, Bela, & Leventa; quorum duo priores tandem etiam ad Coronam

Re-

Regni pervenerunt post obitum Petri, & Abæ Regum. *Leventa* vero mortuus est Anno primo regiminis Andreæ I. in Gentilismo, ad quem relapsus fuerat. Duces hi tempore S. Stephani habitarunt Nittriæ; indeque profugerunt in Bohemiam, & Poloniam, territi misera sorte *Vazulis* Patrui sui, quem (ut mox diximus) Gizela Regina usu oculorum, & aurium privari fecit, liquato plumbo in ejus aures infuso. Commorati sunt expost Duces hi in exteris Provinciis, signanter in Roxollonia usque ad ultimos annos *Petri* Regis, post *Abam* Regem, a quibusdam factiosis Proceribus iterum ad solium Regium assumpti; cujus ultimo Anno revocati a Regni Nobilibus, tyrannidem Petri ultra ferre non valentibus, ac una depositos Scythicos ritus resumere peravide cupientibus, adversus Petrum, & Henricum III. Imperatorem, nec nonAlbertum Marchionem Austriæ, qui Petri partes tuebantur, in arenam progressi, non modo hostilem exercitum profligarunt, sed & capto Petro, ac exoculato, dataque facultate universæ Genti Hunga-

ræ ad cupitos Scythicos ritus iterum redeundi, eosdemque libere exercendi, viam sibi certam ad Regale solium aperuerunt, ut ex inferius dicendis patebit.

Geyza, Filius Toxi Ducis, mox ab obitu patris sui, aspirante Divino lumine, & complurium Apostolicorum virorum (qui ea tempestate magno numero e vicinis Christiano-Catholicis Provinciis, utpote Gallia, Italia, Germania, Bohemia, Græcia &c. in Hungariam confluebant) præcipue autem SS. Adalberti, & Piligrini Episcoporum assiduis curis, & laboribus, fidem Christianam suscepit A. Domini 970. una cum uxore sua *Saroltha*, senioris Gyulæ Ducis Transylvaniæ filia; nec non pluribus aliis Regni civibus, & Proceribus, quos ad hoc faciendum, exemplum vicinæ Gentis Polonorum, qui ante quinquennium, Anno utpote 965. eadem Christiana sacra assumpserunt, non leviter permovit. Tanto lumine fidei per gratuitam Dei vocationem illustratus Dux Geyza, nihil non egit, quo citius, & efficacius totum suum Regnum, seu Provinciam in eandem secum suscipien-

piendæ Religionis Catholicæ ſententiam pertraheret; verum gloriam hanc non modo inchoandi, ſed & in ſtatum perfectum perducendi templi Dei in Hungaria, videtur Deus ipſe non Geyzæ, quaſi Davidi; aſt Stephano ejus Filio, tanquam alteri poſt Davidem Salomoni; aut Zorobabeli (qui templum Salomonis dirutum poſt captivitatem Babylonicam primus reædificavit) reſervaſſe. (Bonf. D. 2. L. 1.)

Geyzæ itaque jam Chriſtiana Sacra ſequenti ex Saroltha uxore ſua natus eſt Filius A. Chriſti 973. cui per *S. Adalbertum* ex Bohemia in Ungariam eotum delatum, expoſt autem Pragenſium in Bohemia Archi-Epiſcopum, Strigonii baptizato, impoſitum eſt nomen *Stephani*, (Bonf. D. 2. L. 1.) quod eidem jam antea cælitus impoſitum fuiſſe, ſeu ex revelatione, ſeu ex viſione nocturna Pater, & mater ejus affirmabant, ut annotavit P. Spangar e S. J. ad Annum Chriſti 972. In hoc ter fauſto regenerationis ſpiritualis actu, Patrinum egit *Theodatus* quidam vir Nobilis ex Bohemia, vel Apulia oriundus,

dus, non minus opibus, quam consilio, ac præcipue zelo propagandæ fidei Catholicæ celeberrimus; quem cum expost Stephanus, adhuc juvenculus *Tatam* cognominasset, in perennem tantorum solatiorum, & beneficiorum a Deo obtentorum memoriam, condidit is Abbatiam SS. Petri, & Pauli Apostolorum, & Castellum, seu Arcem, ac oppidum amplum in Comitatu Comaromiensi, quod usque nunc proprio nomine *Tata* nuncupatur. Fuisse Geyzæ Duci post fata prioris conjugis, & alteram conjugem *Adleidam* nomine, Miecislai Polonorum Ducis sororem; *Juditham* porro Geyzæ Ducis Filiam ex Saroltha priore conjuge progenitam, fuisse matrimonio junctam Boleslao Miecislai Ducis Filio, primo expost Poloniarum Regi, Scriptores Poloni nos inficiari non sinunt. Reliquas S. Stephani sorores isthic commemorare non tanti interest, præter *Saroltham*, Abæ, nobilissimo eotum inter Proceres Hungariæ, ac summæ authoritatis viro, primum quidem Palatino Regni, dein ad Regale quoque solium evecto, in connubium datam.

In-

Interea temporis ex hac mortali vita ad indipiſcendam immortalitatis coronam translatus eſt *S. Piligrinus* Epiſcopus Laureacenſis, ſeu ut nunc dicimus, Paſſavienſis, aut Patavienſis, rei Catholicæ in Ungaria Promotor æterna memoria digniſſimus, A. Chriſti 991. Poſt hunc *S. Adalbertus* Pragenſium in Bohemia Archi-Epiſcopus, qui Geyzam, & Stephanum ejus Filium ſacro fonte abluit, vitam, & Apoſtolicos ſuos labores finiit in Pruſſia, glorioſo martyrio coronatus A. Chriſti 997. Eodem anno e terreno ad cæleſte Regnum evocatus eſt *Geyza* Dux Ungarorum, relictis poſt ſe, quam plurimis ſuæ in Deum, & Eccleſiam, ac Regnum Hungariæ ſingularis pietatis, & Chriſtianæ liberalitatis monumentis.

Demortuo Geyzæ, Genitori ſuo ſucceſſit *Stephanus*, annum ætatis agens 24. Princeps ad omnia juſta, & honeſta natus, & factus exactiſſime; de quo cum veritate dici, & prædicari potuit illud Salomonis (Sap. 8. v. 19.) quod *ſortitus ſit animam bonam*, abhorrentem ex animo omnia ea, quæ Deo, & ejus Juſtitiæ repu-

gnabant; amplectentem ex adverſo ambabus, ut dici ſolet, ulnis doctrinam illam, quæ non niſi amorem Divinorum inſtillabat; rerum vero caducarum contemptum, aut ad minus ſobrium, & non illicitum uſum inculcabat. Talis cum eſſet *Stephanus* adhuc juvenis, amabilis nempe Deo, & hominibus, ut in omnium oculis, ore, & animis, velut pretioſa gemma continuo circumferretur, nec eſſet ſeu ex domeſticis, ſeu exteris ullus, qui ei ſinceris votis multorum annorum feliciſſimum progreſſum; indeſinentem regnandi proſperitatem; plures item & in hac vita coronas non comprecaretur, aut ariolaretur; ſtatuit principium felicitatis tum ſuæ, tum Regni ſui a Jove inchoare, & ſe, totumque Regnum ſuum Individuæ Sacratiſſimæ Triadi, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; Beatiſſimæ item Virgini Matri MARIÆ, cui, & ipſe filius Dei, humana carne indutus, *ſubditus erat* (Luc. 2.) ſubjicere; in his anchoram ſpei figere; horum cultum, & venerationem pro viribus ſuis in terris promovere; Eccleſiam Romano-Catholicam co-

le-

lere, & protegere ; Fidem Christi, quæ per hanc Ecclesiam prædicatur in universo mundo, cum tota Gente sua tenere, profiteri, ac dilatare ; exemplo aliarum Provinciarum, & Populorum, in quibus jam tunc, utpote: in Italia, Gallia, Germania, Hispania &c. Fides Christi, ac omnes reliqui Christianæ Religionis pii ritus, & cæremoniæ in summo flore vigebant.

Consilio itaque multorum, zelo Christianæ Religionis propagandæ insignium virorum, qui lateri ejus adhærebant, tum & motu proprio, ac spontaneo impulsu, prout erat ad omnia commoda Regni sui, & Ecclesiæ Catholicæ incrementa inflammatissimus, constituit intra se, tot in Regno Episcopatus erigere, ac dotare, quot ad Regni utilitatem, splendorem, & honorem, Populorumque sibi subjectorum spirituale solatium, & commodum necessarii visi fuerint ; aut quibus se erigendis parem, & sufficientem adinvenerit. Hæc pia cogitata, & proposita ut quo citius, & felicius in effectum deduceret Stephanus, primum, &

ante omnia universum Regnum suum in varios dispescuit Comitatus desumpta denominatione vel inde, quod Regem, quocunque ierit, cum vexillo *comitari* deberent; vel quod ad unum aliquem *communem* locum pro tractandis publicis Regis, & Regni negotiis *itare*, & convenire solerent. Singulis Comitatibus suos præfecit Comites, & Vice-Comites, ac alios administrandæ tum œconomiæ, tum Justitiæ ministros, ac Judices adjecit. Destinavit loca, & Civitates, in quibus Prælati, seu Episcopi, tanquam Supremi Pastores animarum resideant; indeque omnibus curæ suæ commissis ovibus, ac reliquis sibi subjectis animarum Curatoribus invigilent; eorum necessitatibus succurrant; dirigant eos in viam salutis; & gloriam Dei; fidei progressum, animarum salutem, omni, qua possunt ratione, defendant, promoveant, & stabiliant.

Post obitum pientissimi Genitoris sui bellum gerendum fuit Stephano cum *Cupa* Simegiensi Comite, adversario non tam suo, quam Religionis Christianæ; quo debellato, opes illius, quas ingentes habe-

bebat, ad perficiendum cænobium S. Martini, per Geyzam Ducem Genitorem ſuum jam prævie inchoatum, ex voto convertit, Decimasque omnes Comitatus Simegienſis eidem Cænobio in perpetuum addixit. Hoc depulſo inimico, & ſe, Regnoque ſuo in libertatem, & quietem aſſerto; Anno a partu ſalutis 999. honorificam non minus, ac toti Regno ſalutarem adornavit legationem Romam ad Summum Pontificem Sylveſtrum II. immediatum Succeſſorem Gregorii V., eique per *Aſtricum*, alias etiam Anaſtaſium dictum, S. Montis Pannoniæ primum Abbatem, & deſignatum primum Epiſcopum Colocenſem, ſuam non modo ad fidem Catholicam acceſſionem, ſed & de totius Regni, & Gentis ſuæ ad obedientiam Sacræ Sedis Apoſtolicæ adductione, paratam, firmam, & invariabilem mentem ſuam notificari præcepit, cupiens, has ſuas pias, & ſalutares intentiones ac propoſita Sedi Apoſtolicæ rata; grata, & accepta haberi, præſertim Epiſcopatuum erectionem, authoritate Apoſtolica confirmari.

Hanc

Hanc tam insignem, tantisque peculiaris Divinæ clementiæ charismatibus præcellentem legationem ad se inexspectato advenientem, omni quo potuit, ac debuit, honoris, & amoris affectu complexus Sylvester II. Papa, non modo omnibus petitis, & postulatis Stephani, utpote honestissimis, ac rei Christianæ in Hungaria faventissimis lubens annuit, & subscripsit, sed & insuper diadema Regium, quod Miecislao Polonorum Duci paraverat, *Dei*, ut habent literæ Pontificiæ, *mandato* eidem submisit; addidit ad hæc Titulum Regis *Apostolici*, cum jure ad omnes hæredes, & successores transituro præferendæ Crucis in Regno suo in signum Apostolatus sui; Ecclesiasque omnes, & Episcopatus, quos fundaturus erat; Vicaria Pontificis authoritate, & potestate ordinandi, & disponendi, reservata sibi sola Confirmatione Episcoporum; via item Appellationis Causarum Spiritualium ad Sedem Apostolicam, prout usque nunc in Regno practicari videmus, modo & ordine patriis Legibus conformi.

Hac

Hac legatione per Aſtricum adeo proſpere, & feliciter peracta, obtentisque tam ſingularibus Privilegiis, Regem Apoſtolicum apprime condecentibus, A. eodem, quo Legati Roma rediverunt, milleſimo nempe poſt natum Chriſtum, die 15. Auguſti, in Feſto Aſſumptionis B. M. V. ad cælos, ſacro Diademate inſignitus eſt Stephanus in terris, quo Beatiſſima Virgo Maria coronata eſt in cælis, poſt 8. & 30. annos eodem iterum ipſe quoque die coronandus in cælis, ut inferius patebit.

S. Stephanus ita jam unctus, & coronatus Rex Hungariæ, nihil habuit in votis antiquius, quam ut Deo, & Eccleſiæ, quam ſpoponderat, fidem exolveret, factasque oblationes, omni, quo poſſet meliori, & celeriori modo & via exequeretur, ac in optatum finem perduceret. Hinc ſtabilito jam Archi-Epiſcopatu Strigonienſi (a cujus I. Archi-Epiſcopo Dominico dicto etiam coronatus eſt) nec non Epiſcopatu Colocenſi, ac forte etiam alio adhuc aliquo ad Strigonium viciniore Epiſcopatu, Veſzprimienſi

enſi nempe, Nittrienſi, vel Vacienſi (nondum enim determinare licuit) curas ſuas omnes eo convertit, quatenus converſionem Populi ſui acceleraret, reliquasque Epiſcopales ſedes, & Eccleſias, quas jam antea a ſe fundandas mente conceperat, quo citius erigeret, dotaret, ac in ſuum debitum ordinem, & ſtatum perfectum deduceret.

Invidit tantis, & tam piis conatibus infernalis hoſtis, quos ut præcideret, aut ſuffocaret, permovit *Gyulam* II. Tranſylvaniæ Ducem, adhuc Gentilem, S. Stephani Avunculum, quatenus eisdem omni vi, & potentia obſiſteret; cum hoc itaque Avunculo ſuo iterum bellandum fuit Stephano per biennium; quo devicto, & in ordinem redacto, ex facultatibus ejusdem fundavit Epiſcopatum *Albenſem* in Tranſylvania; Anno Chriſti circiter ſecundo, vel tertio ſupra milleſimum. Exinde convertit arma ſua juſtiſſima S. Rex contra Bulgaros gentiles, Regni finibus imminentes; quibus pariter debellatis, eorundem e ſpoliis fundavit Epiſcopatum *Bacſienſem* An. 1005.

Ita

Ita S. Rex & Apoſtolus Ungariæ, non ſibi, non ſuis commodis, ſed Deo, ſed Eccleſiæ, ſed animarum ſaluti pugnabat, ac omnia ſua lucra in gloriam Dei, Eccleſiæ Catholicæ incrementum, ac Regni ſui utilitatem convertit: ratus ſe ſatis feliciter regnaturum in terris, ſi pietas, ſi juſtitia, ſi cultus veri Dei floreret in Regno ſuo.

Trium jam hic (præter Archi-Epiſcopatum Strigonienſem) Epiſcopatuum incunabula, & diem natalem inſinuavimus; utpote: *Colocenſis*, *Tranſylvanienſis*, & *Bacſienſis*. Forte non erit abſonum, neque Lectoribus noſtris tædioſum, ſi & reliquorum uſque nunc in Hungaria vigentium Epiſcopatuum origines, & natales dies honeſtæ eruditionis cauſa iſthic deſcripſerimus; de his enim omnibus, non una eſt omnium etiam domeſticorum Chronologorum ſententia.

Aliqui volunt duos fuiſſe erectos & inſtitutos a S. Rege Stephano Archi-Epiſcopatus in Ungaria, Strigonienſem nempe & Colocenſem cum Bacſienſi unitum; decem dein Epiſcopatus, utpote:

Agrien-

Agrienſem, Veſzprimienſem, Nittrienſem, Tranſylvanienſem, Quinque-Eccleſienſem, Jaurinenſem, Csanadienſem, Syrmienſem, Vacienſem, & Varadinenſem.

Alii e contra fulti authoritate *Chartuitii Epiſcopi* Boſnenſis, qui 60. tantum, aut ad ſummum 70. annis poſt obitum S. Regis Stephani Librum ſuum de rebus geſtis ejusdem S. Regis conſcripſit, & Colomanno Ungariæ Regi dedicavit (aut ut alii volunt, alteri Colomanno Halliciæ Regi, Fratri Belæ IV. Regis Hungariæ dedicandum reliquit) arbitrantur, 10. tantum Epiſcopatus, incluſo etiam Archi-Epiſcopatu Strigonienſi fuiſſe a S. Rege immediate fundatos: utpote Colocenſem, Agrienſem, Veſzprimienſem, Tranſylvanieſem, Bacſienſem, Quinque-Eccleſienſem, Jaurinenſem, Cſanadienſem, & Nittrienſem; quibus ſi addatur Albenſis, ſeu *Alba-Regalenſis* in Hungaria, cujus Epiſcopus ut meminit Bonfinius Decad. 3. L. 2. ea immunitate fuit conſpicuus ætate S. Stephani, ut ſoli Romano Pontifici ſubjectus fuerit, prodibunt

de-

decem Episcopatus, præter Archi-Episcopatum Strigoniensem a S. Rege fundati.

Alios porro, præter hic modo enumeratos 10. Episcopatus putant hi secundi ordinis Chronologi non a S. Rege Stephano, verum a posterioribus Regibus Hungariæ fuisse institutos, & stabilitos; signanter Vaciensem attribuunt *Geyzæ I.* qui Vacii ex voto magnificam exstruxit Basilicam A. 1074. in honorem B. Mariæ semper Virginis; alteram in honorem SS. Apostolorum Petri, & Pauli; Varadiensem porro & Zagrabiensem attribuunt S. Ladislao, & ejus successori Colomanno; Syrmiensem vero vel his, vel plane Belæ IV. Hungariæ Regibus; a quibus vel primum erectos, vel certe primum Coronæ Hungariæ fuisse adjectos, & incorporatos autumant. Quin & Nittriensem a Geyza II. qui obiit 1160. non modo majoribus auctum proventibus; sed & institutum fuisse prætendunt. Illud certum: oppidum Nittriam a Ludovico I. Rege fuisse Episcopatui Nittriensi A. 1364. vel donatum, vel consensu Regio firmatum.

Nos interea, salvo aliorum meliori judicio, arbitramur, Episcopatum *Nittriensem*, eodem, quo reliqui novem institutore S. Stephano gloriari debere, cui pariter S. Rex *primum esse* dedit, adnumerando illum cæteris a se erectis, vel erigendis Episcopatibus; licet ei exposť alii Apostolici Reges succesſive *melius esse* dederint, dotando illum uberioribus proventibus: quod nec ipsimet adversæ sententiæ Patroni inficiantur. Fuisse enim Nittriæ Episcopum jam tempore S. Stephani, inde liquet primo, quod Beztertus illius loci Episcopus poſt obitum S. Regis Stephani martyrium subierit cum S. Gerardo Episcopo Csanadiensi, per manus illorum Ungarorum, qui sub Regibus, aut potius Tyrannis Petro, & Aba, magno cum impetu & furore ad ritus Scythicos relabebantur. Secundo in eo conveniunt omnes fere Chronologi; Templum Cathedrale Nittriense esse opus *Privinæ* Sclavorum Principis, quod *Adalramus* Episcopus Juvaviensis, seu ut nunc loquimur, Salisburgensis consecravit in honorem S. Emerami M. tempore Ludo-

vi-

vici Imperatoris circa Annum Christi 828. adeoque longe ante tempora S. Stephani I. Regis Ungarorum; quod dein vicissitudine temporum nimium vitiatum, ætate nostra Anno nempe 1728. pientissimæ memoriæ Antistes loci C. Ladislaus Adamus Erdôdi de Monyorokerék Cancellarius Regni ad magnificentiam restaurari curavit. Neque illud negari potest: consentientibus plerisque maximi nominis Historicis, & Annalistis: a temporibus *Frigedildæ* Reginæ Moravorum, adeoque ab A. Chr. circiter 396. extitisse Nittriæ Collegium quoddam Sacerdotum, seu Canonicorum, cujus Præpositus Major successivis temporibus in Episcopum consecrabatur, eratque Partium illarum *Suffraganeus* Episcopus, jam a Juvavienſi, seu Salisburgenſi, jam a Laureacenſi, (seu Passavienſi) jam ab Olomucenſi, jam a Pragenſi, Episcopis libere assumptus, & Vicaria potestate ad exercendas functiones Episcopales authorizatus, prout nempe jam unius, jam alterius dictorum Episcoporum Jurisdictio in Pannoniam extendebatur; Partibus enim illis ad Va-

gum ſitis, jam Germanos, jam Moravos, jam Bohemos pro ratione nimirum vel fæderis, vel Jure bellorum dominatos fuiſſe uſque ad adventum Ungarorum extra dubium eſt. Donec & his, & aliis ex memoratis locis per Ungaros depulſis, dominium illius terræ penes ſolos Ungaros manſerit. Poſonium porro titulo dotis obveniſſe, S. Regi Stephano ab Henrico II. Bavariæ Duce, ac dein Imperatore, cujus ſororem Gyſelam in uxorem habuit, Hiſtoriæ nos docent. Quo ſtante: potuiſſe a S. Rege Stephano Præpoſitum Nittrienſem ſtatim ad exordium ſui regiminis in numerum ſuorum Epiſcoporum aſſumi, eumque Romam, una cum Aſtrico, ut ibidem conſecrationis beneficium vel reciperet, vel in eo jam habito, & recepto confirmaretur, expediri, quis non videt? Et vero ita factum fuiſſe, evincit & exemplum occiſi Epiſcopi Nittrienſis cum S. Gerardo Csanadienſi Epiſcopo, antequam Andreas I. Rex coronam Ungariæ adipiſceretur; & quod Capitulum Nittrienſe ab eo tempore, diſtinctum ab Epiſcopo Præpoſitum nullum

ha-

habeat, verum ſolum Lectorem, Cantorem, & Cuſtodem, ac cætera digniſſima membra ſinu ſuo complectatur. Quamquam non negemus, fieri potuiſſe (imo factum eſſe aſſerimus) ut Sedes illa Cathedralis pluribus deinceps annis ſuo caruerit Epiſcopo, ac fere in ſolam iterum Præpoſituram relapſa ſit uſque ad tempora Colomanni Regis, & aliorum ſubſequentium Regum Hungariæ ad uſque tempora Geyzæ II., qui eam iterum quaſi ex luctu abſterſit, & amplioribus proventibus auctam, ſuo priſtino decori, & dignitati poſtliminio reſtituit.

Idem eſto judicium de Vacienſi, Varadienſi, imo & Syrmienſi Epiſcopatibus, quos pariter potuit ipſemet Sanctus Rex Stephanus inchoaſſe, ſeu pro Sedibus Cathedralibus Epiſcoporum declaraſſe, & conſtituiſſe, ſicut & conſtituit; licet eos expoſt morte præveniente, ad eum quem volebat perfectæ conſiſtentiæ ſtatum non perduxerit; verum aliis, ſuis nempe in Corona Apoſtolica ſucceſſoribus perficiendos, & ſtabiliendos reliquerit. Exemplum *facti* habemus in Eccle-

sia veteris Budæ, quam quidem Sanctus Rex ipsemet in honorem SS. Petri, & Pauli Apostolorum ædificandam magnis sumptibus assumpsit Anno 1022. eam tamen non nisi 8vus. post eum succeſſor S. Ladislaus absolvit; ergo pariformiter, prærecensitos Episcopatus principiative a S. Rege Stephano erectos, & fundatos fuisse dubitari non debet, esto dein ab aliis subsequis Regibus, vel restaurati post ruinas, vel majoribus aucti proventibus, tractu temporis splendidiores effecti sint.

Vesprimiensem Episcopatum ajunt aliqui An. 1004. fuisse erectum a S. Rege Stephano. Nos econtra arbitramur, Episcopatum hunc unum esse ex illis, quorum Episcopi jam in Anno 999. cum Astrico designato Colocensi Episcopo, & Legationis Principe Romam profecti sunt, tum ut Legationis splendorem sua præsentia augerent, tum vel maxime, ut ibidem una cum Astrico consecrationis Episcopalis beneficium acciperent; quo semel obtento, ab his dein alii in Regno denominati, aut in futurum denominandi Episcopi consecrarentur. Nec obstat,

quod

quod Gyzela Consors S. Stephani Regis, post suas initas nuptias, Anno nempe quinto vel sexto supra millesimum Basilicam S. Michaelis Veszprimii vel ditaverit copiosius, vel exornaverit splendidius; unde factum putamus, quod Episcopi Veszprimienses nomen, & officium Cancellarii Reginæ Hungariæ usque nunc gerere, aut prætendere dicantur. Nam quod Veszprimii jam longe ante annum millesimum ingens, & magnifica Ecclesia assurrexerit pietate, & liberalitate *Michaelis*, Patrui S. Stephani, Fratris utpote germani Geyzæ Ducis, in honorem S. Michaelis Archangeli, graves omnino, & fide digni Historici referunt. Hinc opportunum omnino fuit Stephano, hic loci Episcopatum erigere, ejusque designatum Episcopum Romam legationis tempore expedire, ut ibidem, ut jam dictum est, consecrationis beneficium cum Astrico Colocensium futuro Episcopo susciperet; tum quia initium hujus Episcopatus, vix in aliud opportunius tempus conjici posse videtur; præsertim cum S. Stephanus Protho-Rex Hungariæ jam in Anno

1002. Episcopo Veszprimiensi, tanquam *Parochiano*, id est. ordinario I. Comitatus Simegiensis (exstiterat ergo jam tunc Episcopatus Veszprimiensis) in sortem, seu compensationem Decimarum, ex modo dicto Comitatu eidem obvenire valentium; eotum vero Monasterio S. Martini in Sacro monte Pannoniæ a se exstructo, peculiari voto in perpetuum traditarum, & obstrictarum, adeoque a mensa Episcoporum Veszprimiensium avulsarum; *Curtem*, seu *Cortem*, id est, Curiam, seu Aulam residentialem Kupán Ducis a se devicti, in Simeg, vel Sümeg in perpetuum transscripserit cum hominibus eodem pertinentibus; uti ex Privilegio modo dicto Monasterio S. Martini Episcopi per S. Regem Stephanum collato, & per Cardinalem Pazmanum Archi-Episcopum Strigonienſem olim in originali viso, luculenter docetur. Illud hic notasse interest: *Benetham* hujus Sedis Episcopum Anno 1046. vel 7. non nisi intercessione Ducum Andreæ & Leventæ evasisse periculum, quo minus eadem sors ipsi obtigerit, quæ obtigit *Buldo* Agriensi; *Bez-*

ter-

terto Nittrienſi; *Dominico II.* Archi-Epiſcopo Strigonienſi; & *S. Gerardo* Csanadienſi Epiſcopo, qui cum multis aliis tum Laicis, tum Eccleſiaſticis, tum Religioſis viris, ab Ungaris ad Scythicos ritus denuo relabentibus peſſime habiti, & trucidati ſunt. Duravit hæc ſævities, & barbaricus furor Gentilium Ungarorum in Chriſtianos, duobus ferme, vel plane tribus annis, uſque dum illorum furores Andreas I. in regio ſolio ſtabilitus Anno 47. ſupra milleſimum, validiſſimis Legibus compeſcuiſſet, propoſita capitali pœna in eos, qui ad neglecta Chriſtiana Sacra illico, & actutum non redirent.

Epiſcopatus *Quinque Eccleſienſis*, primum ſuum Epiſcopum accepit A. Chriſti 1009., *Beniportum vel Boniportum* nomine, Sacellanum S. Regis Stephani; ut patet ex Literis Privilegialibus huic Eccleſiæ a S. Rege datis, in quibus limites Diæceſis illius deſcripti, & conſtituti habentur, teſte Inchofferio in Annalibus ad hunc annum. De nomenclatione, ſeu onomatologia hujus Epiſcopatus, non una eſt Authorum opinio. Alii volunt il-

lum ideo *Quinque Ecclesias* dici, quia ut illi putant, quinto loco, inter Episcopatus Hungariæ erectus, & fundatus est; quod cum iis, quæ superius de Vaciensi, Nittriensi, Varadiensi, & Syrmiensi Episcopatibus inseruimus, parum cohæret. Alii ejus denominationem deducunt a Græca voce *Pente*, quod ei aliunde nomen fuit tempore S. Stephani; *Pente* autem latine *quinque* sonat; hinc quia ibidem Ecclesia, seu Sedes Cathedralis facta est volente S. Stephano, potuit facile latino idiomate, *Quinta Ecclesia*, seu Quinque Ecclesiæ nominari; sicut in Scepusio est locus quidam, quod *Quintoforum* appellatur. Alii denique, ac fere pressius, & congruentius, nomen istud agnatum: *Quinque Ecclesiæ*, mutuant a quinque Fanis, seu Templis Gentilium incolarum, quæ jam sæculo VIII. & IX., adeoque longe ante tempora S. Stephani I. Regis Hungarorum, in hoc ampliſſimo eotum oppido exstiterunt; indeque nomen *Fünff-Kirchen*, a Germanis eidem inditum est; ut patet ex Historia Bojorum, & Carinthorum, ætate B. Methodii Moravorum

rum Apoſtoli, nec non Privinnæ Slavorum Nittrienſium Principis, ſub Ludovico pio Caroli Magni Filio, & Lothario Imperatoribus, circa Annum Chriſti 858. conſcripta; in cujus rei dein memoriam Petrus Rex Alemannus immediatus ſucceſſor S. Stephani in ſolio Hungarico, magnificam ibidem exſtruxit Baſilicam, quæ uſque nunc ex ſingulari Dei protectione, ac providentia, non obſtantibus quibusvis rerum viciſſitudinibus, Turcarum, & Tartarorum in everſionem Divinorum ſæpe igne & ferro debacchantium ſævis incurſionibus, aliisque plagis, & Regni deſolationibus, in teſtimonium, & perenne argumentum antiquæ pietatis Regum Hungariæ illæſum adhuc, & intactum perſeverat. Baſilica hæc, ut notum eſt iis, qui eam propriis oculis intimius inſpexerunt, quatuor non poſtremæ molis capellas in ſinu ſuo complectitur, ob quas tota Baſilica quinque quaſi inſimul Eccleſias repræſentare videtur; facit ad fidem ſigillum Civitatis Quinque-Eccleſienſis, in quo quinque quaſi Eccleſiæ in unum collectæ exhibentur. Civitatem hanc

Quin-

Quinque-Ecclesiensem Andreas II. Hyerosolym. Rex Hungariæ donavit Ecclesiæ Cathedrali jure perpetuo tenendam. Multum seu utilitatis, seu amœnitatis, seu splendoris, & magnificentiæ habuisse olim necesse est civitatem hanc, quandoquidem in proverbium abierit apud veteres Patriæ cives: quod est germano *Bécs*, hoc est Ungaro *Pécs*; jam vero *Bécs*; idiomate Ungarico Viennam; *Pécs* vero Quinque Ecclesias denotat; sic dicta ab incolis Peucinis, qui ex Insula *Peuce* ad ostium Istri sita, cum Hunnis advenerant in Pannoniam, & hanc civitatem ædificarunt: Hujus insulæ meminit & Bonfinius Dec. 1. L. 1. circa medium. Quod porro summe memorabile, & facit ad ingentem gloriam hujus Episcopatus, est: quod *Calanus I.* ejusdem loci Episcopus, ad initium sæculi 3tii supra 2decimum, Anno nempe 1214. sub Andrea II. Rege, & Joanne Meraniæ Duce, Archi-Episcopo Strigonienſi *Pallium* acceperit a Romano Pontifice Innocentio III. in præmium singularis suæ scientiæ, & meritorum, quod soliis cæteroquin Archi-Episcopis, & Patriar-

triarchis concedi ſolet. Decus iſtud Epiſcopale ob turbidum, & diu infelicem Regni Hungariæ ſtatum, jam fere intermiſſum, ac oblivioni traditum, modernus Excellentiſſimus D. Antiſtes loci *Georgius Klimo*, pro ſuo in Eccleſiam ſuam ſingulari zelo, & vigilantia apud modo defunctum ſummum Pontificem Benedictum XIV. iterum vel evicit, vel obtinuit pro ſe, ſuisque ſucceſſoribus perpetuo obtinendum.

Epiſcopatus *Jaurinenſis* inſtitutionem referimus ad Annum 1030.; quo nempe anno S. Rex Conradum Auſtriacum ad Arabonem fluvium devicit, ope cæleſtium geniorum viſibiliter adjutus. Ad quod ſtatuendum movit Hiſtoricos pietas S. Regis Stephani, qui beneficia a Deo accepta, novis in Eccleſiam Chriſti beneficiis quaſi compenſare ſolebat. Quis fuerit primus Jaurinenſium Epiſcopus? nobis nondum innotuit.

Syrmienſem Epiſcopatum, imo Metropolim, viguiſſe primis ſtatim poſt Chriſtum Eccleſiæ ſæculis, hiſtoriæ tum ſacræ, tum profanæ abunde teſtantur; in

cu-

cujus memoriam revocandam S. Stephanus, vel, ut alii volunt, Bela IV. Syrmienſem conſtituit Epiſcopatum, eumque Colocenſi, ſeu Bacſienſi Metropolitæ ſubjecit. Illud hic fere certum eſt: S. Emericum primogenitum Filium S. Stephani, Syrmienſis Ducis titulum geſſiſſe; atque hinc Syrmienſem tractum jam tempore S. Stephani Coronæ Hungariæ ſubjectum fuiſſe. Quo ſtante, nihil obſtat, quo minus dicamus; & hunc Epiſcopatum jam a S. Rege Stephano fuiſſe erectum, & inſtitutum.

Csanadienſis Epiſcopatus incunabula ad Annum Chriſti 1036. referre licet; quandoquidem hoc primum anno eidem Epiſcopus obtigerit *Gerardus* nomine, ex ordine S. Benedicti, vir multorum non modo meritorum, ſed & virtutum. Fuit is primum moderator, & inſtructor S. Emerici Ducis in ſcientiis, & virtutibus; inde ſe ad eremum de Bel recipiens, vitæ ſanctitate, & doctrina promeruit, ut ei primo Infula Csanadienſis imponeretur. Porro cum eſſet per totum Regnum Apoſtolico munere ſpectatiſſimus, odium

& furorem incurrit Gentilium Ungarorum, a quibus primum lapidibus impetitus, ac obrutus; dein lancea ad montem juxta Budam positum transfixus, gloriosam martyrii coronam consecutus est A. Christi 1047. cujus festivitas celebratur annue in Hungaria die 25. Septembris.

Antequam de Agriensi Episcopatu quidpiam dicamus, investigandum primo duximus: quo anno, & tempore Colocensis aut Bacsiensis Episcopatus elevatus sit in Archi-Episcopatum? de quo lis non modica est inter Chronologos tum Patrios, tum extraneos. Aliqui putant statim post erectum Episcopatum Bacsiensem Anno 1005. *Astricum* Colocensem Episcopum, denominatum fuisse per S. Regem Stephanum in Archi-Episcopum Bacsiensem, tum quia aliunde jam pallio Archi-Episcopali uteretur ob administratum Vicaria potestate triennio integro Archi-Episcopatum Strigoniensem loco *Sebastiani* Archi-Episcopi Strigoniensis per id temporis oculorum usu destituti; tum quia majoris dignitatis charactere insigniri oportebat, aut convenie-

niebat illum Pontificem, quem Stephanus pro expetenda sibi sponsa ad Henricum II. Bavariæ Ducem, expost in Imperatorem Rom. electum, ablegare volebat; qui tandem Anno 1007. accedente consensu Romani Pontificis in hocce novo Archi-Episcopatu confirmatus fuisse putatur. Alii e contra arbitrantur: Episcopatum Bacsiensem non nisi post fata S. Stephani elevatum esse in Metropolim; neque etiam Colocensem Episcopatum continuo eidem in perpetuum conjunctum fuisse; cum usque ad Ann. fere 1116., ut ex Documentis authenticis apparet, diversi non raro Episcopi his Episcopatibus præfuisse legantur; post illum autem annum, aut potius 1151. usque nunc, semper, & ubique, unius, ejusdemque Archi-Episcopatus honore condecorentur. Quæ quidem lis, & controversia Historicorum, quia majoris esset indaginis, uberiorique indigeret Documentorum delectu, quibus nos destituimur, eo, quod Annales Ungariæ, & Diaria primigenia, a primis Ecclesiæ Hungaricæ Patribus, & Annalistis conscripta,

non

non modo furore, & incendio barbarico; ſed & inteſtinarum ſeditionum ſævo tumultu jam pridem perierint, & conſumpta ſint, non arbitramur nos tantos eſſe, ut in re apprime nota, ac præſcripta, judices nos, & arbitros conſtituamus. Ad noſtra igitur, & domeſtica inveſtiganda regredientes, de Epiſcopatu Agrienſi paucis aliqua dicemus.

Plurium Hiſtoricorum tum domeſticorum, tum exterorum narrationes ad ſanioris criticæ artis trutinam ponderantes, in eo utrosque Hiſtoricos mire conſentire adinvenimus, quod aſſerant, S. Stephanum tum Anno 999. adeoque ante coronationem ſuam; tum An. 1009. & 10. Agriæ perſonaliter ſuiſſe, ac longiorem moram traxiſſe. Unde inferimus, tanquam certum (circumſtantiæ enim determinant rem) Epiſcopium, & Eccleſiam Cathedralem Agrienſem in honorem S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ in Caſtro Agrienſi ædificandam, jam in Anno 999. delineatam, ejusdemque primum lapidem impoſitum fuiſſe. Anno porro 9. & 10. poſt milleſimum, iisdem ædificiis ultimam

manum impoſitam; ſicque Epiſcopum, & Capitulum in eandem Cathedralem Eccleſiam Anno 10. vel 11. poſt milleſimum introductum fuiſſe per S. Stephanum.

Et vero non parum intererat Stephani tot annorum decurſu erigere, dotare, ac ſtabilire illam Eccleſiam, & Epiſcopium, cujus Epiſcopus tractu temporis, fortuna, aut fæcunditate Regiæ Domus ita exigente, aut admittente, quarto-genitum Filium Regis non modo hoſpitio excipere, ſed & ad dignitatem competenter alere, bonisque moribus, Chriſtiano Principe dignis imbuere, ex ſpeciali Regio favore, & Clementia) atteſtante idipſum Bela IV. & ejus Filio, Stephano V. Hungariæ Regibus in confirmatione Privilegiorum Eccleſiæ Agrienſis) obligatus foret. Atque hinc arbitramur invaluiſſe primis Eccleſiæ Ungaricæ ſæculis, neminem ad hunc Epiſcopatum idoneum fore, niſi inſignem ſtemmate, & ſcientiarum cognitione præfulgentem.

His porro ita ſe habentibus, illud jam prono alveo fluit: non *Catapranum*, ut volunt aliqui, levi præjudicio præventi;

ti; sed *S. Buldum* primum Agriæ Episcopum fuisse, qui ab Anno 10. vel 11. supra millesimum usque ad Annum Christi 1045. vel 6., adeoque spatio 34. vel 35. annorum, postea quam Ecclesiam Agriensem, pie, sancte, & feliciter gubernasset, tandem in turbidissimo illo Regni Hungariæ statu, qui duravit annos circiter novem ab obitu S. Regis, usque ad 1. annum regiminis Andreæ I. Regis, sub Aba, & Petro Regibus, comprehensus & ipse cum pluribus aliis tum Laicis, tum Ecclesiasticis, ac religiosis viris Martyrii coronam adeptus est per manus illorum Ungarornm, qui partim tyrannidem Petri, & Abæ Regum pertæsi; partim faventibus ipsis, imo animos addentibus Andrea, & Leventa Ducibus ob persecutionem Petri Regis exulare coactis, ad Scythicos ritus relapsi, feritate plus, quam barbara, irruebant in Christianos, præsertim Ecclesiasticos, & Religiosos viros, eosque tribus ferme annis, extrema vi, & potentia persequebantur. In hac procellosa tempestate periit etiam Dominicus II. Archi-Episcopus Strigonienſis,

Beztertus Nittrienſis, S. item Gerardus I. Csanadienſium Epiſcopus, lancea transfixus, Anno 1047. Quin & Benetha, vel Benethe, Epiſcopus Veſzprimienſis eandem ſortem expertus fuiſſet, niſi ipſorummet Andreæ, & Leventæ Ducum interceſſione a morte liberatus fuiſſet. Ut jam hæc omnia ſuperius quoque attigimus, & inſinuavimus.

Accedit, quod in hoc fere conveniant omnes Chronologi tum domeſtici, tum exteri; ſed vel maxime quotidianus uſus, communis opinio, fama, traditio totius Gentis Hungaræ, ab exordio Regni uſque ad nos perducta, evincit; nec qnemquam ignorare ſinit: Epiſcopum Agrienſem ſemper fuiſſe; ac etiamnum eſſe primum Suffraganeum Metropolitanæ Eccleſiæ Strigonienſis; conſequenter & Epiſcopatum Agrienſem, ſi non in executione, certe in intentione primum quoque reputari debere inter illos Epiſcopatus, & Eccleſias Cathedrales, quas S. Rex Stephanus Pontifici Romæ proponi fecit, ac a ſe in Regno ſuo fundandas decrevit.

Quid

Quid, quod exſtet & nunc in caſtro Agrienſi particula quædam, aut ut verius dicam, umbra quædam, & leve veſtigium Propilæi, tum & particula navis Eccleſiæ Cathedralis, olim tam nobilis, & magnificæ (reliqua enim omnia, quæ ipſam circumſtabant, puta: Capellæ, Sacriſtiæ, turres, mauſolea &c. vel jam pridem diruta ſunt, vel in mænia abierunt) cui pares in Regno hocce Apoſtolico paucæ fuere; cujusve rudera uſque nunc, non alium, quam S. Stephanum, Patronum, & Fundatorem ſuum loquuntur. Et hunc ergo Epiſcopatum, ſicut reliquos jam prærecenſitos, eodem Fundatore S. Stephano gaudere, & gloriari non modo poſſe, ſed & debere, extra dubium eſt. Attribuerat S. Rex Stephanus huic Eccleſiæ Agrienſi præter alia bona ſtabilia, & Jura poſſeſſionaria omnes decimas ex 11. aut plane 13. Comitatibus, inter quos fuit etiam Comitatus Zarandienſis, cujus Archi-Diaconus *de Pankota* dictus, uſque nunc primum locum occupat in Capitulo poſt Archi-Diaconum Cathedralem, & 3. alios Præpoſitos, qui de Caſtro A-

grienſi dicuntur; ſola decima *puledrorum*: id eſt, hinnulorum equinorum pro Filio Regis reſervata. Accedit, quod, ut patet ex Art. 20. D. 3. Ulad. R. de Anno 1498. ſolus Epiſcopus Agrienſis olim æquiparabatur Archi-Epiſcopo Strigonienſi quoad Banderiuu; uterque enim duo Banderia ſervare tenebatur, quorum ſingulum 400. capitibus conſtabat; idque ratione Bonorum, ſed vel maxime Proventuum decimalium, ut Art. 15. citati Decreti tertii declarat; ſimiliter Capitulum Agrienſe eotum adhuc 200. milites levare tenebatur, ſicut Capitulum Strigonienſe ratione ſuorum bonorum & decimarum. Ex quo clarum fit, Eccleſiam Agrienſem a S. Stephano, ac aliis Apoſtolicis Regibus fuiſſe olim liberaliſſime dotatam, & multis prærogativis decoratam.

Cæteros Epiſcopatus, extra jam recenſitos, in Hungaria, & Partibus eidem annexis exſtantes, non a S. Stephano, verum ab aliis ejusdem ſucceſſoribus, æque glorioſiſſimis Apoſtolicis Hungariæ Regibus fuiſſe vel primitus erectos, vel

per

per eosdem Coronæ Hungariæ ſubjectos, ac incorporatos, nemo omnino Chronologorum ambigit; ſunt autem ſequentes.

Primo: *Zagrabienſis*; de quo certum eſt, quod tempore S. Stephani nondum pertinuerit ad coronam Hungariæ; verum ſub S. Ladislao primum ad eandem acceſſerit; poſtquam nimirum S. hic Rex Croatiam, & Dalmatiam, duo hæc Regna titulo vel ſanguinis, & legitimæ ſucceſſionis, vel liberæ electionis poſt fata ultimi horum Regnorum Regis Znuimur dicti; vel jure armorum obtinuiſſet, & Coronæ Hungariæ in perpetuum innexuiſſet, conſtituto eotum Zagrabiæ Epiſcopatu, cum antea Sciſciæ fuerit.

2do: *Corbavienſis* in Croatia, erectus ſub Bela III. 3tio: *Bosnenſis*, alias Diakoienſis, vel Dacoienſis, in Bosnia, ſeuRama, quæ eſt pars Bosniæ; quam Bela IV. Coronæ Hungariæ adjecit. An. 1135. 4to: *Szvitnicenſis*, vel Platienſis Valachorum in Croatia. 5to: *Bakovienſis* in Moldavia, inſtitutus a Clemente VIII. & ſubjectus Archi-Epiſcopatui Colocenſi. 6to: *Belgradienſis* in Servia; quem Innoc. X.

instituit, & Archi-Episcopatui Antibarensi in Albania subjecit. 7mo: *Fogarasiensis* Valachorum in Transylvania. 8vo: Sunt præterea in Hungaria duo Rituales Episcopi Ruthenorum cum S. Romana Ecclesia unitorum, quorum unus habitat Munkacsini in Agriensi; alter vero Varadini in Diœcesi ejusdem nominis; solentque ad Episcopatus in Partibus infidelium habitos consecrari; quin Georgius Haner Scriptor Acatholicus lib. 3. de Eccl. Transylv. testatur: fuisse olim in Transylvania etiam Episcopatum *Milkoviensem*, Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensi subjectum. Illud certum: tres Archi-Episcopatus extra Ungariam positos, utpote Jadrensem, Spalatensem in Dalmatia, nec non Ragusanum ad oram maritimam maris Adriatici situm, olim cum omnibus suis suffraganeis Episcopis ad Coronam Regni Hungariæ pertinuisse; quod vel ipsa Decreta Regni, Corpori Juris Hungarici inserta, satis, superque evincunt, quorum clausulis nomina Archi-Episcoporum Spalatensium, Jadrensium, & Ragusanorum adscripta habentur.

tur. Sed de his satis; tempus est, ut reliquas quoque res memorabiles, quæ ætate S. Stephani contigerunt, & quas nobis nosse, vel omnino utile, vel jucundum, vel plane necessarium est, compendiosa narratione perstringamus.

Præter erectionem Episcopatuum, & conversionem suæ Gentis ad veram, & unice salvificam Fidem Romano-Catholicam, multa præterea bona operatus est *Stephanus* tum in, tum extra Regnum suum, quæ omnia brevi narratione comprehendi vix possunt. *Albæ Regalis* grandem imprimis, ac prorsus insignem (sunt verba Historici de gestis S. Stephani, Breviario in Officio ejusdem Sancti, inserta) Virgini Deiparæ (quam non solum in omni vita sua, singulari pietate coluit, verum etiam Regni sui Patronam adoptavit; & in ejus rei memoriam, ut dies Assumptionis B. M. V. *Dies magnæ Dominæ* vocaretur, celebrisque ab omnibus haberetur, edixit) Basilicam condidit. *Veszprimii* pro Monialibus Græcis Basilianis amplum, & opulentum erexit Monasterium; quibus emortuis, tractu tempo-

ris ſucceſſere Benedictinæ; ſed & his poſt cladem Mohacſianam Kôrmendini, quo ſe ſecuritatis cauſa receperant, exſtinctis, jura hujus monaſterii collata ſunt Collegio Jaurinenſi RR. PP. S. J. per Ferdin. II. & III. Rom. Imperatores. *Jeroſolymis* Cænobium Monachorum ædificavit; *Raveñæ* item in Italia tum Eccleſiam, tum cænobium S. Petri ad vincula. *Romæ* in honorem S. Stephani Proto-Martyris, Tutelaris ſui, Collegium 12. Canonicorum pro Hungaris erexit, rebusque vitæ degendæ neceſſariis locupletavit, in quorum locum defacto 12. intertenentur Alumni in Collegio Apollinari, qui ex Hungaria eo ſtatis temporibus mittuntur. Ibidem domos, & hoſpitia itidem Hungaris, voti, aut devotionis cauſa eo confluentibus ædificavit, & dotavit. Denique *Conſtantinopoli*, ut plura alia taceamus, eximii operis Templum e fundamentis eduxit, & ſacro apparatu abunde providit. In omnes quidem fuit beneficus, clemens, largus, ac pæne dixerim, prodigus S. Stephanus, ſed vel maxime in pauperes, & mendicos profuſiſſimus, quorum pedes

non

non raro abluebat, largamque eis eleemosynam suis manibus erogabat, vilibus indutus vestibus, ne agnosceretur. Virtuti & meritis sua nunquam apud ipsum deerant præmia; injurias sicut accipiebat pacato semper animo, ita & remittebat facillime, obliviscebatur constantissime. Patiens in morbis, & calamitatibus perferendis; fortis item & assiduus in virtutibus maxime heroicis exercendis; verbo: Divinis nutibus, & dispositionibus fuit plene subjectus.

Amore hæredis præ oculis habito, Anno 1005. *Gyzelam* S. Henrici II. Bavariæ Ducis, exposit Rom. Imperatoris sororem sibi in matrimonium adjunxit. Ex hoc ter fausto, & tam sublimi Hymenæo natus est Anno 1007. *Emericus*, id est: Henricus, in memoriam Avi sui materni ita vocatus. Quid? & quantum solatii perceperit Stephanus ex hoc unico fulcro Regiæ Domus suæ? edici satis non potest. Ut eum ad beate, & feliciter, ac una Christiane regendum præformaret, conscripsit ei adhuc duodenni regulas, & principia tum morum, tum boni, & Chri-

stia-

ſtiani regiminis, quæ obſervare deberet; prout hæc omnia uſque nunc in Corpore Juris Hungarici, Libro 1. Decretorum ſuorum præfixa leguntur. Verum non diu licuit Stephano tantis ſolatiis frui; multo minus cupitum finem conſequi. *Emericus* enim obiit virgo ante patrem A. C. 1031. ætatis 24. relicta uxore æque virgine, quam exemplo ſuo & piis adhortationibus pariter in amorem caſtitatis, quam ipſe Veſzprimii Virgini Matri in primo ſtatim ætatis flore voverat, perduxit, & inflammavit. Merito virtutum, ſingulariter autem animi, & corporis puritate illud peculiaris gratiæ conſecutus fuerat a Deo *Emericus*, ut in aliis quoque cognoſcere potuerit: quis? & quantum quisque in excolendæ, & conſervandæ caſtitatis cura profecerit, ac excelluerit? cujus rei luculentum dedit experimentum tunc, dum ſingulos de Sacro monte Pannoniæ Religioſos ſibi, & Patri ſuo debitæ reverentiæ cauſa occurrentes, perbenigne complexus, imparibus oſculis dignatus eſt, aliis plura, aliis pauciora oſcula largiendo, pro menſura virtutum, & caſtimoniæ, quibus excellebant. Ob-

Obiit S. Rex Stephanus Anno 1038. illo ipso die, quo ante 38. annos Coronam Hungariæ susceptit; in Festo nempe B. M. V. ad cælos assumptæ, cujus cultum maxima cum animi teneritudine promovebat, & perennem esse volebat in terris; sepultus Albæ Regali ingenti cum luctu totius Regni. Miracula, quæ intuitu meritorum servi sui Stephani cum ante, tum post mortem illius patravit Deus, in solamen verorum Christi Fidelium ad ejus interceſſionem recurrentium, satis enarrari non possunt; unius, alteriusve meminisse sufficiat.

Adhuc vivens transmisso pane, vel pomo varios a variis morbis, & corporis afflictionibus liberabat. Post 5. & 40. annos ab obitu ejus, agente ejus causam, & strenue promovente apud Sacram Sedem Apostolicam, ipsomet non minus Sancto, & vere Apostolico Rege *Ladislao*, in Album Sanctorum relatus est una cum Filio suo Emerico ob vitæ anteactæ sanctimoniam, & complurium rite, ac Canonice comprobatorum miraculorum evidentiam. Dum corpus ejus post Ca-

nonizationem S. Ladislaus e ſepulchro levare voluiſſet, lapis ſepulchralis eousque loco moveri non potuit, quoadusque Ladislaus Rex Salomonem agnatum ſuum Corona Regni privatum, & in vinculis tentum, liberum non dimiſiſſet. Levatis venerandis ejus Reliquiis non modo odor ſuaviſſimus ſua fragrantia totum templum replevit, ſed & inſuper liquor quidam admirabilis ex ſacro ejus corpore profluxit, qui licet aſſidue hauriretur ad ægrotorum omnis generis curationem, exhauriri tamen haud potuit, unde factum, ut nemo quovis morbi genere affectus, beneficiorum Sancti Regis expers fuerit. Hac occaſione omnia quidem reliqua membra ſacri corporis reſoluta aparuerunt ſola dextera manus integra, & ab omni corruptione immunis deprehenſa eſt, in teſtimonium tot beneficiorum, & eleemoſynarum, quas miniſterio manus ſuæ dexteræ conſtantiſſime, & profuſiſſime vivens expendit. Ob hæc, & alia plura prorſus inſignia merita, & prærogativas, quibus tum in, tum extra Regnum ſuum præfulgebat Stephanus; Gentemq; ſuam

ad

ad apicem gloriæ, & felicitatis utriusque vitæ tam præsentis, quam futuræ, tantis conatibus, & beneficentiæ stimulis perduxit, ac elevavit, nemo erit, credo ego, ex omnibus Patriæ filiis, qui hæc omnia grata semper memoria non recolat, omnesque illos, quos potest, in parem secum venerationem, & cultum tanti Patroni Hungariæ non impellat; aut ad minus commendatione tantarum virtutum, & beneficiorum ab eo acceptorum non alliciat.

Ætate S. Stephani vixit Conradus II. Salicus dictus, Rom. Imperator, quem cælestes Genii, miro nuncio, ac pio stratagemate non semel ab Hungariæ finibus abegerunt, ne nocere posset Regi, & Regno Apostolico. S. Cunegundis Virgo cum S. Henrico II. Rom. Imp. marito suo matrimonium cum virginitate conjunxit. S. Romualdus Camaldulensium Patriarcha sub S. Stephano Hungariam personaliter invisit. Hoc item tempore floruit Benedictus Eremita, Trencsinii ad Vagum projectus; Andreas item Zoerardus, vitam clausit Anno 1009. pariter eremi cultor

Nit-

Nittriæ, & Trencſinii. Principatus Tranſylvaniæ per S. Regem Stephanum ſubjectus eſt Coronæ Hungariæ, devicto per eum Gyula, vel Jula II., ut dictum eſt ſupra. Gyzela Regina, relicta vidua S. Stephani, quum minus eſſet affecta Hungaris, præſertim Proceribus, & Regio Hungarico ſanguini, excedens Regno, ſe ad Parthenonem Patavienſem, ſeu, ut nunc dicimus, Paſſavienſem recepit, ibidemque vitam non ſine ſanctimoniæ laude finivit Anno Domini 1095. teſte Bruſchio in Laureaco. Hac ætate ſcribitur vixiſſe *Creſimirus*, primus Rex Croatiæ; *Miecislaus* itidem primus Dux, vel Rex Polonorum Chriſtianus ex ſtemmate Piaſtorum; cujus IV. ſucceſſor *Caſimirus* ex Monacho Benedictino Caſſinenſi assumptus eſt in regium ſolium circa Annum Chriſti 1034. in cujus rei memoriam Poloni capita ſua in modum coronæ detondent. Regnum Aragoniæ cæpit Anno 1035. Reges Caſtiliæ deſcendunt a Ferdinando Caſtiliæ Comite, qui Veremundum III. Hiſpaniæ Regem occidit. Sub S. Stephano I. Rege Hungariæ, primus

Ar-

Q. duriacensi.

Archi-Episcopus Strigoniensis fuit Dominicus I. Secundus B. Sebastianus, qui prope initium sui regiminis in cæcitatem delapsus, post triennium oculorum usum non sine miraculo recepit, cujus interea vices Astricus Coloc. Antistes supplevit. *Palatini* erant Ceba, & Aba, vel Ovo dicti; quorum posterior, affinis utpote S. Stephani Regis, tandem etiam ad Regium thronum eluctatus est post Petrum Italum, vel Burgundum, vulgo Alemannum dictum, S. Stephani ex sorore nepotem, e solio dejectum; de quo jam dicturi sumus. Huntes, Páznán, aut Pázmán, & Vincellinus erant Belli-Duces S. Stephani a militari scientia laudatissimi.

Secundus Rex Hungariæ PETRUS ALEMANNUS, S. Stephani ex sorore nepos, ut mox dictum est; coronatus est in Regem Hungariæ Anno 1038. statim ab obitu S. Regis Stephani, adnitente præsertim Gyzela Regina vidua, & Henrico III. Rom. Imperatore; nondum expleto quadriennio pulsus est a factiosis quibusdam Proceribus, & Regno privatus ob mores pessimos, quos Historici re-

censent, maxime: avaritiam, superbiam, & crudelitatem. Fertur Ungariam, *Angariam* dixisse, quasi continuo angi, aut angariari deberet; eamque tributariam fecisse Henrico III. Imperatori, quod utique Hungaris non displicere non potuit. Bonf. D. 2. L. 2. Quæ si vera sunt, prout & sunt; Historia enim est testis temporum, magistra veritatis, teste Cicerone l. 2. de Orat. præsertim si ii, quorum interest, Historici, in eandem omnes conveniant sententiam; mirabitur forte quis: quo pacto potuerit tam amœnus Phosphorus, qui in *Stephano* assurrexerat Hungarico orbi, eumque qua late patet, irradiando exhilaraverat, in tam atram caliginem converti tam subito in *Petro*? sed enim mirari desinet is, qui secum rite perpenderit; quod humor, seu genius, bona item vel mala educatio, aut conversatio hominem ab homine distinguat. Nihil præterea connaturalius, quam aberrare eum, qui tritam ab aliis viam negligit; & se meliorum exempla, normamque vivendi contemnendo, suæ nimium vel sapientiæ obsequitur, vel complacentiæ

tiæ mancipatur. Vitia etiam ſine Magiſtro diſcuntur, Seneca teſte; nec poteſt mala arbor alios, quam malos fructus facere; docente Scriptura. Unde non male dixit, quicunque dixit: *Nequitiam honoratam, eſſe iniquitatem duplicatam;* tum quia quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu; tum quia ſicut fama vires acquirit eundo, ita & nequitia, id eſt: nequam, & perverſus animus, qui in privato torpebat, in excelſo collocatus, vires acquirit, & exerit majores; correctionis utpote jam tunc impatiens, reprehenſionis ſecurus. Theat. Pol. c. 16.

Tertius Rex Hungariæ, ABA, vel OBA, aut OVO, ex Palatino, ſeu Pro-Rege Regni, coronatus eſt in Regem Hungariæ Anno 1041. Habuit in matrimonio Saroltham S. Regis Stephani ſororem; crudelitatem, quam in Petro Deceſſore ſuo damnarat in ſe emendare negligens, odium incurrit ſuorum inſanabile; quo ducti aliqui adhuc Nobilium, qui victimæ ejus crudelitati non ceciderant, converſi ſunt ad Petrum, & Henricum Imperatorem, qui a partibus Petri ſtabat,

atque *Abam*, jam aliunde a Legato Pontificio ob usurpatam Coronam vivente adhuc legitime coronato Rege, excommunicatum, armis persecuti sunt, captumque e vivis sustulerunt. Tumulo illatus est Aba in Cœnobio Sárienſi a se exstructo; Inclytus Comitatus Abaújvarienſis ab eo nomen accepit in memoriam Præſidii *Abaújvár*, quod hic Rex in Partibus illis exstrui curavit. Posteris non caruisse Abam, qui expost in Provinciis Abaúj, Borsod, & Heves amplis præfulgebant opibus, & dignitatibus, ex Decreto Belæ IV. quo Privilegia Episcopatus Agrienſis innovata sunt, clarum evadit. In ejus locum reassumptus est *Petrus*, & secundo coronatus Anno 1044. verum quia a prioribus suis vitiis nihil remisisset, quin imo crudelius sæviret in plerosque, denuo invisus factus Regnicolis, atque ex fuga in Austriam attentata retractus, carceri incluſus est; priusque cæcus, quam mortuus, vivere desiit Anno 1047. sepultus, in Basilica Quinque-Eccleſienſi, quam ipse ex fundamentis vel erexit, vel a S. Stephano cæptam consummavit.

Quar-

Quartus Rex Hung. ANDREAS I. Filius natu maximus Ladislai Calvi, nepos Geyzæ Ducis, coronatus est in Regem Hungariæ Albæ Regali Anno 1047. culpandus in eo, quod thronum Regium per scelus ascenderit, data potestate Ungaris, ad Scythicos ritus iterum redeundi; quod tamen scelus videtur ille satis eluisse, abolitis iterum iisdem ritibus, & sacris Catholicis, posteaquam in solio stabilitus fuisset, ubique restitutis, & inductis; obiit in prælio, quod gessit adversus Belam Fratrem suum; sepultus in Monasterio S. Aniani Episcopi a se condito in Tyhan ad Balatonem. Sub hoc Rege vixit quidam *Zotmundus* nomine celeber Urinator Posonienſis, qui naves Henrici III. Imperatoris una nocte omnes perterebravit, & demersit; atque sic hostem cum jactura navium suarum retrocedere coegit Anno 1050. Bonf. D. 2. l. 2. Ut Henricum Imp. reconciliaret Andreæ Regi S. Leo IX. Papa ipsemet in persona descendit in Hungariam Anno sequenti; cujus reconciliationis effectus fuit, quod

Salomon filius Andreæ Regis Sophiam Imperatoris filiam in ſponſam acceperit.

Quintus Rex Hungariæ BELA I. Andreæ I. germanus Frater, coronatus eſt in Regem Hungariæ poſt obitum ſui fratris Anno 59. vel 60. poſt milleſimum; alias etiam Adalbertus dictus. Plura bella geſſit cum Fratre ſuo Andrea propterea, quod hic Filium ſuum Salomonem, adhuc impuberem, præterito ſe, coronari feciſſet. Fuit Bela Princeps eximiæ fortitudinis, & audaciæ, cujus ſingulare ſpecimen dedit tunc in Polonia, quando Pomeraniæ Ducem, a quo Mesko, ſeu Miecislaus II. Poloniæ Rex ad ſingulare certamen provocabatur, aſſumpta in ſe vicaria certandi provincia, glorioſe proſtravit, & devicit; in cujus egregii facti præmium filiam Miecislai Regis in uxorem accepit. Sub hoc Rege Hungariæ Populus iterum tumultuari, & antiquos Scythicos ritus reſumere tentavit; quem tamen ille adeo valide compeſcuit, & refrænavit, occiſis eorum coryphæis, & inſtigatoribus, ut nunquam ſibi animos id amplius attentandi ſumpſerit. Obiit ad

Ca-

Caniſam, vel in oppido Demes, prolapſus e ſolio, dum Populis Jura diceret; vel ut volunt alii, ruina Domus oppreſſus Anno 1063. ſepultus in Monaſterio Szekſzardienſi a ſe fundato. Decreta nulla edidit, ſicut nec frater ejus Andreas.

Sextus Rex Hung. SALOMON filius Andreæ I. coronatus quidem eſt adhuc vivente patre, ſed ad regale ſolium non pervenit, niſi poſt obitum Patrui ſui Belæ I. Bonf. D 2. L. 3. de quo tamen iterum deturbatus eſt per Geyzam, & Ladislaum Belæ I. filios Anno 1074. quos Salomon ex invidia, ſeductus pravis malevolorum conſiliis, præſertim cujusdam Vidi, qui erat intimus amicus, & Belli-Dux Salomonis, perſequebatur, & ſufferre volebat. Felix in eo, quod cum regnum terrenum inter tumultus hujus mundi manutenere nequiverit, eremum induens, *Polæ* in Iſtria, ut in variis Exterorum Annalibus legere eſt, pauper quidem, & inops humanarum rerum, Chriſtianis autem virtutibus multum dives, Anno 1078. *Polo* cæleſti inſeri, & in Sanctorum Sedes cooptari meruerit. Fuit Salomon

Rex potens, & victorioſus eouſque, donec cum Ducibus Geyza, & Ladislao, ſicut ſanguinis, ita & amoris, ac benevolentiæ conjunctionem tenuit; horum enim ut plurimum virtute victoriarum lauros metebat: Dalmatas, Græcos, Bulgaros, Raſcianos, Bohemos, Cumanos non una vice devicit; Belgradum imperio Hungarico adjecit; ſpretis tandem Ducibus, & invidiæ telis expoſitis, fortunam ſuam in pejus ruere, imo ex toto deficere experiri debuit, fruſtra ei Henrico IV. Imperatore opem ferre conante. Decreta nulla edidit.

Septimus Rex Hungar. GEYZA I. Belæ I. filius, depulſo Salomone coronatus eſt in Regem Hungariæ Anno 1073. 22. Novemb. Rex undequaque laudabiliſſimus; merito *Pater Patriæ* dictus, obiit pientiſſime Anno tertio regiminis ſui; ſepultus Vaçii in Baſilica a ſe condita. Sub hoc Rege vixit Boleslaus II. Poloniæ Rex, qui poſt biennium a cæde S. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis in amentiam lapſus, fugit in Ungariam, hic-

que

que misere obiit Anno 1081. sub S. Ladislao Rege, de quo jam dicturi sumus.

Octavus Rex Hungariæ, S. LADISLAUS, Frater Geyzæ I. Anno 1076. invitus coronam suscepit; eandem lubenter cedere volens Salomoni adhuc superstiti in Austria, vel potius *Istria*, quo se sanctioris vitæ traducendæ causa receperat. De conjugio S. Ladislai nihil certi constat; probabilius vitam duxerit cælibem. An virtute bellica, & militari; aut vero Sanctimonia vitæ, miraculorumque fulgore præstiterit? usque nunc dubitare licet. *Acum* Chunorum Ducem, sicut David Goliathum, singulari certamine devicit. Virginem raptam ab hoste pagano conspicatus, ut illam a periculo liberet, hunc tamdiu insecutus est, donec eo occiso virginem Christianam in libertatem asseruerit. Fuit præterea Ladislaus, Rex revera *Marianus*, utpote cultor Matris Dei eximius, quam Dominam, & Patronam, non modo suam, sed & totius Regni sui vocabat. Primus imaginem ejus auro inseruit, quod cudi curabat. Varadini Virgineis honoribus Matris Dei

Ecclesiam magnificam erexit; Episcopatumque hujus loci, vel primum instituit, vel certo ampliorem reddidit, & opulentiorem; prout & Agriensem, ac alias in Regno Ecclesias multis beneficiis affecit. Ut palam faceret omnibus, cujus sub tutela, & auspiciis pugnaret; cujusve precibus speraret se victoriam obtenturum a Deo, fertur *Rosarium*, seu corollam Marianam, quam tanquam pensum filiale quotidie persolvebat, semper apud se gestasse; ac dum in pugnam eundum fuit, capulo gladii sui circumvolvisse.

Ob hæc, & alia vere Catholici cordis semina, ac eximiæ pietatis monumenta, utique non degener hæres, & sanguis S. Stephani Protho-Regis Hungariæ, illud promeruit a toto Regno suo, ut eum post obitum integro triennio luxerit, interdictis ubique omnibus lætitiæ signis, & instrumentis, quasi vero ipsummet totum Regnum Hungariæ cum tam pio, tam justo, tam glorioso capite suo, & Rectore sepultum foret. Obiit Rex hic pientissimus Anno Domini 1096. sepultus Varadini, quo & exanimis, curriculo spon-

te

te ſua velociſſime currente, quem nemo, ut credere fas eſt, præter cæleſtes genios trahebat, devehi, & tumulari voluit. Ita nimirum Filii ad Matrem, tanquam ad aſylum properant! Et vero eſtne aliquis ex omnibus veris Chriſtianis, qui cum Maria Matre Dei, & vivus, & mortuus eſſe non vellet?

Miracula, quæ Deus in ſingularem gloriam, & commendationem ſervi ſui Ladislai operari dignatus eſt, multam paginam requirerent; nos pauca ex quam plurimis delibabimus. 1mo: Exercitui ſuo, inopia aquæ, & carnium laboranti, fontes non raro, imo fluvios ex ſicca terra, velut alter Moyſes, elicuit. 2do: Bubalos copioſos, & cervos, neſcitur, quibus ex terris ſponte ſua accurrentes, fuſis ad Deum precibus impetravit. 3tio: ingentem pecuniæ vim, quam Tartari in prælio fuſi, fugatique a S. Rege, ſparſerant, eo fine, ut milites Ungari a perſequendo retardarentur, mirabili orationis vi, & potentia in lapides convertit. 4to: tempore ſepulturæ S. Regis, cum quidam ex præſentibus minus religioſus, & minus

nus reverens, ſacrum ejus corpus fætere dixiſſet, retorto in tergum ore adusque non convaluit, quoad pœnitentia ductus, ad demortui S. Regis opem, & interceſſionem non recurriſſet. Quibus omnibus rite probatis, Cæleſtinus Papa III. Anno 1192. eundem in Sanctorum numerum retulit, id eſt: cultum ejus religioſum, ac venerationem, licitam omnino, utilem, ac ſalutarem eſſe Chriſtiano Populo, publico ſuo edicto, ac Decreto aſſeruit, & ſtabilivit. Edidit S. Ladislaus 3. Libros Decretorum ſuorum in Capita diviſos, quibus ut plurimum Chriſtianam Diſciplinam inculcat. Illud hic non omittendum; fuiſſe S. Regi, dum viveret, oblatam Coronam Imperii, quam tamen ille, pro ſua in rebus humanis appetendis modeſtia recuſavit; Expeditionis nihilominus ſacræ in Palæſtinam pro recuperandis locis ſacris, ad requiſitionem complurium Europæorum Principum Ducem ſe præbuiſſet, ſi ei vita diuturnior fuiſſet. Una Lybitina ſpes maximas Chriſtianitatis præcidit! Cracoviam teſte Bonf. D. 2. L. 4. deditione cæpit,

in-

ingenioso stratagemate, dum abundantiam simulans, non exiguum montem farina conspergi curasset.

Cæterum quam felix, & glorioſum fuit Eccleſiæ Catholicæ ſæculum iſtud primum ſupra milleſimum relate ad Ungariam; in qua ſtatim a ſuſcepta Chriſtianitate vivi Sancti converſabantur, & procurabant rem Catholicam; tam triſte, & luctuoſum fuit reſpectu aliarum Provinciarum, in quibus res Catholica multum detrimenti patiebatur. In Gallia exurrexit Phantaſta quidam *Berengarius* nomine, Archi-Diaconus Andegavenſis, qui ſapere volens, plus, quam oportet, contra doctrinam Apoſtoli; mentis inſuper cæcitate, aut obſtinatione deceptus, ſenſibus utpote plus, quam Divinis oraculis, unanimi item tot ſæculorum ſententiæ confidens, docere primus ex Filiis Eccleſiæ non erubuit: Corpus, & ſanguinem Chriſti, in Sacramento Euchariſtiæ realiter præſentia non eſſe. Ad hunc errorem tollendum, Authoremque illius ad ſanam mentem reducendum, plures coactæ ſunt Synodi, & Concilia, in quibus convi-

ctus,

ctus, & ad pœnitendum de iteratis lapsibus inductus Berengarius, tandem palinodiam cecinisse, ac in communione S. Matris Ecclesiæ vitam finiisse traditur A. 1088. In Oriente porro, ut plura alia omittamus, *Michaël Cærularius*, Patriarcha Constantinopol. Schisma Græcorum, quod Photius, ejusdem in eadem Sede Decessor, Sæculo IX. sub Nicolao I. Roman. Pontifice excitaverat; subinde vero emortuis incentoribus sopitum, & quasi jam oblivioni traditum, iterum resuscitavit, majoribusque succensus viribus, per totum Orientem propagavit, usum vel maxime Azymi Panis in Sacrificio, de quo nulla adhuc sub Photio controversia fuerat, perperam reprobans, & vehementius exprobrans Ecclesiis Occidentalibus; in quo errore Græci Schismatici usque nunc obstricti perdurant.

Nonus Rex Hungariæ COLOMANNUS; Filius Geyzæ I. Fratruelis S. Ladislai coronatus est Albæ Regali A. 1096. Dicitur fuisse homo durus, & asper; imo crudelis non modo in exteros, sed & in proprium sanguinem coronæ capacem;

an

an unquam fuerit Episcopus Varadiensis, aut saltem aliquo majori insignitus ordine? usque nunc ambigitur. Satis esto: neminem per solam deputationem ad vitam sacratiorem, seu Ecclesiasticam, seu Religiosam, verum per exercitium bonorum morum, & virtutum amorem fieri meliorem, Deo, hominibusque amabilem, civibus utilem, Regno glorioſum, æterna tandem vita dignum. Obiit Colomannus Anno Christi 1114. die 5. Jun. sepultus Albæ Regali consueto in Regum Mausolæo. Mortuum deflevit Ungaria, non quod eum amiserit, sed quod tardius, quam felicitas civium exegisset, amiserit! ita nimirum nec Principibus æqualem erigit fama post fata colossum! adhæsit ei nomen apud Ungaros: *Könyves Kálmán:* vel quia Breviarium, aut alias preces ex libro quotidie recitabat: vel quia multitudine librorum delectabatur. Almo Fratri suo, ac ejus Filio Belæ adhuc admodum juveni, oculos erui fecit, ut eos ad Coronam inutiles redderet: sacræ militiæ in Palæstinam proficiscentis Ducatum, seu Capitaneatum tantum abest, ut

in

in se assumpserit, (fuit enim hic honor ei oblatus, sicut S. Ladislao Bonf. D. 2. l. 5.) ut illam etiam impedire, ac a Regni finibus arcere attentaverit, quæ tamen non curatis per Colomannum prætensis quibusvis inebris per Hungariam feliciter transiit Duce Godefrido Bullionio, a quo Jerosolyma capta est Anno 1099. In hoc æterna memoria dignus Colomannus, quod Regnum Croatiæ, Dalmatiæ, & Sclavoniæ victricibus suis armis firmius innexuerit Coronæ Ungariæ, occiso quodam *Petro*, qui se contra S. Ladislaum pro Rege Dalmatiæ gerebat. Vivente Colomanno, & Stephano II. Hungariæ Regibus, multum molesti erant Pontificibus Henricus IV. & V. Imperatores propter investituras Beneficiatorum Ecclesiasticorum.

Decimus Rex Hungariæ. STEPHANUS II. Colomanni Filius natu minor admodum juvenis coronatus est An. 1114. vel 15. Princeps adeo crudelis etiam in Regio throno (in quo alias non nisi justitia & clementia regnare solent) ut audito ejus vel solo nomine, infantes in cunis.

nis contremuisse, & conticuisse ferantur. Duo ipsi præcipue vitio vertuntur. 1mo: quod fuerit excessive amicus Cumanorum adhuc Gentilium. 2do: quod mulierum mancipium audierit. Cæterum factorum tandem pœnitens, ante mortem cucullum induit in signum pœnitentiæ, vitamque clausit Agriæ in Monasterio A. 1131. sepultus tamen Varadini, ut ipse volebat.

Undecimus Rex Hungariæ BELA II. nepos Geyzæ I. Filius Ducis Almi, Fratris Colomanni Regis, de quo supra meminimus, coronatus est in Regem Hungariæ Anno 1131. Albæ Regali, ibidemque sepultus post 10. annos. Hunc una cum Patre suo Almo, ut paulo ante diximus, crudelitas Colomanni Regis excæcaverat, ne Coronam, & solium Regium invenire possit; eum tamen fortuna, id est, Deus, cujus providentiæ subsunt omnia, evexit in Regale solium, ut inde tanquam videns, & bonus speculator Regno prøvideret, omniumque necessitatibus pro Regii muneris exigentia prospiceret, & opitularetur. Præstitit utrumque collaudabilissime, tametsi non

ſuis, ſed alienis viderit oculis; optimis quibusque utens Conſiliariis, quibus unice Deus, & Religio, & felicitas Regni, & fidelitas legitimis Principibus debita cordi erant. Inde gloria, inde ſucceſſus optimi Belæ Regi. Huic cæco Regi natales ſuos debet Civitas Tyrnavienſis, juxta aliquos; alii enim putant a *Conſtantia* Belæ III. R. H. filia, & Regina Bohemiæ (poſt fata enim prioris mariti ſui Friderici, qui erat Filius Friderici I. Imperatoris, nupſerat Primislao Bohemiæ Regi) ædificatam fuiſſe; ſatis ſit, quod hæc Civitas ab uno, & medio ſæculo domicilium facta ſit virorum literatorum, Emporium ſcientiarum, ſeminarium omnium bonarum artium, quibus videntes a non videntibus, id eſt, ſcientes a non ſcientibus diſcernuntur. Hujus præterea Regis Filia fuit *Gertrudis*, Miecislao Poloniæ Duci nupta, quæ continentiam cum matrimonio jungi poſſe ſuo exemplo docuit.

Duodecimus Rex Hungariæ GEYZA II. Belæ cæci non degener Filius; coronatus eſt vivente adhuc Patre A. 1137.

Re-

Regni tamen habenas non tractavit, nisi post obitum Patris. Rex undequaque laudatissimus; ex Saxonia colonias duxit in Hungariam; Thessera ejus fuit: benefacere omnibus; de sacris juxta, ac profanis bene mereri; Dei præsertim gloriam quærere, Ecclesiam tueri, cujus se etiam in tam alto Regiæ dignitatis culmine indignum filium, ac humilem servum reputabat. Dignus, cui Hungaria statuam erigat, quæ ipsum ab oblivione in perpetuum vindicet, & re ipsa *Magnum* fuisse deprædicet. Obiit Anno 1180. sepultus Albæ Regali.

Decimus tertius Rex Hungariæ STEPHANUS III. Filius Geyzæ II. coronatus est in Regem Hungariæ Anno 1161. 22. Novembr. Obiit Zemplinii Anno 1173. veneno sublatus; Princeps longiore vita dignissimus; infelix in eo, quod adhuc vivens, duos Reges Ladislaum nempe II. & Stephanum IV. patruos suos Belæ cæci filios, corrivalibus in se odiis armatos, præter jus, & æquum, contra se electos cernere debuerit; quos dum vincere, & subjugare satagit, durante in-

teſtino tumultu, tumulum ſibi invenit Strigonii, exemplo ſuo docens: *Nihil eſſe ſtabile ſub ſole.* Bonf. D. 2. L. 6.

Decimus quartus Rex Hung. LADISLAUS II. Belæ cæci filius, Patruus Stephani III. eodem Anno & Rex, & umbra Regis, ſepultus Albæ Regali An. 1172. adeo verum eſt: *Nullum violentum durabile.*

Decimus quintus Rex Hung. STEPHANUS IV. pariter Belæ cæci filius eodem, quo Ladislaus Anno coronam ſibi violentus impoſuit; quam tamen ipſi mors paulo poſt pariter violenter extorſit; atque Belæ III. filio Geyzæ II. & diutius, & felicius tenendam conſignavit; ſepultus Albæ Regali Anno eodem, quo ſupra.

Decimus ſextus Rex Hungar. BELA III. filius Geyzæ II. Fr. Stephani III. coronatus eſt in Regem Hungariæ A. 1174. menſe Jan. dictus *delicium generis humani* propterea, quod nulli non gratioſus, nulli non delicias adferre viſus ſit. Patriam ab inſidiis latronum tutam reddidit, inſidias tamen mortis evadere non potuit. Ceſſit naturæ fato Anno 1196. ſepultus Albæ Regali ſummo cum dolore totius Gentis.

Re-

Reliquit poſt ſe tres filios a probitate, cæterisque virtutibus laudatiſſimos; quorum duo expoſt parenti optimo in corona ſucceſſerunt, Emericus nempe, & Andreas. Decreta ejus nulla exſtant.

Decimus ſeptimus Rex Hung. EMERICUS, ſive HENRICUS; Belæ III. primo genitus filius; Corona utpote, & Majeſtate dignus, eodem, quo pater ejus deceſſit, Anno Regale ſolium conſcendit. Reportatis quam plurimis victoriis de hoſtibus, glorioſus tandem obiit An. 1204. tumulatus Agriæ in Baſilica S. Joannis ante portam Latinam. In hoc exceſſiſſe Regiæ lenitatis, & clementiæ metas perhibetur, quod præcipitis iræ impetu abreptus, *Boleslaum* Vacienſem Epiſcopum, durius, quam decebat Regem Apoſtolicum tractarit; propriis eum manibus ejiciendo e templo, ut ex litteris Innocentii III. Papæ, Anno 1199. ad eum datis apparet, quocum tamen non multo poſt, ut redintegraret priſtinam amicitiam, Regisque eum favoribus digniſſimum conteſtaretur, in Filii ſui Ladislai Patrinum eum aſſumpſit. Contra hunc Regem Andreas

II. adhuc qua Dux tantum Ungariæ, validum exercitum coegit. Emericus ut sanguini Ungarico parceret, spesque Fratris sui elideret, accepto Diademate ad unam, sceptro ad alteram manum, alias inermis, cum paucis suorum progressus est in conspectum hostilis exercitus, eumque blanda oratione, sed vel maxime præsentia sacræ coronæ adeo devicit, ut positis armis, totus exercitus se ejus voluntati, & imperio submiserit. Bonf. D. 2. L. 7. Tanta fuit semper apud Ungaros reverentia sacræ Coronæ! unde facile est assequi sensum verborum Michaëlis Ország de Gutt condam R. H. Palatini, quem dum factiosi ad defectionem a Mathia Corvino adursissent, reposuit eisdem, teste Bonfinio D. 4. L. 3. & Gregorio Pethô ad Annum 1471. *Quemcunque sacra Corona coronatum videris, etiam si Bos fuerit, adorato; & pro sacro sancto Rege ducito, & observato.* Idem fere dixisse fertur Nicolaus Gara R. H. Palatinus sub Ludovico I. & Stephanus Bathori sub Ferdinando I.

Decimus octavus Rex Hungar. LADISLAUS III. Emerici Regis filius, co-

ro-

ronatus quidem est vivente adhuc Patre, sed infelici successu; a Patruo enim suo Andrea II. Belæ III. Filio, undique impetitus, ne auspicari quidem quiete potuit Regium munus. Hinc curis fractus, & inquietudinibus Anno statim sequenti ab obitu Patris, morti victima cadens, Agriæ quietem invenit, tumulatus juxta exuvias sui Parentis Anno 1205.

Decimus nonus Rex Hungariæ ANDREAS II. Belæ III. Filius, coronatus est in Regem Hungariæ Anno 1205. Primam Uxorem ejus *Gertrudem* Meraniæ Ducis Filiam scribunt aliqui, fuisse a Bank Bano, seu Benedicto Bano interfectam Anno 1213. propterea, quod Uxorem hujus libidini sui Fratris, qui eotum ex Germania advenerat, exposuerit; ob quod facinus, ait Gregorius Pethô in sua Chronica Ungariæ, habuisse Bank Banum *Stomachum Ungaricum;* ab Andrea autem Rege fuisse a crimine judicialiter absolutum. Et illud hic insinuant historici, dum Archi-Episcopus Strigonienſis Joannes Meraniæ Dux, Frater æque Reginæ, interrogatus fuisset a quibusdam: num

Regina ob hocce Lenocinium jure, & legitime occidi possit? hisce ambiguis verbis respondisse: *Reginam occidere, nolite-timere-bonum est; si omnes consentiant-ego non-contradico.* Tanta fuit semper observantia Thori Conjugalis apud Ungaros! tantum e contra odium, & abominatio omnis intemperantis animi, seu vagæ, ac furtivæ libidinis, & Lenocinii, de quibus dicit Scriptura: ad Ephes. 5. v. 3. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio.* Sic & tempore Caroli I. Roberti Hungariæ Regis, *Felicianus* quidam Civis Budensis, stricto ense aggressus est Regem, & totam Familiam Regiam in die Paschæ insimul prandentes, propterea, quod Frater æque Reginæ italus, vel alemannus, Uxorem illius ad se pellectam restituere noluisset. Felicianus hic in prima furia, & impetu Regem in brachio læsit; Reginæ 4. digitos absecuit, usque dum ab Aulicis captus, & misere trucidatus fuisset. Sic Deus sub-

ſubditorum peccata non raro in Principe punit! idem Gregor. Pethô in Chronica. Tertia Uxor Andreæ Regis fuit Beatrix Marchionis Eſtenſis Filia, quæ uterum gerens, poſt obitum Mariti ſui fugit in Germaniam, ibique peperit *Stephanum poſthumum*, cujus Stephani Filius itidem *Andreas* tandem ad ſolium Ungaricum pervenit poſt Ladislaum IV., ut inferius dicemus. De II. Uxore Andreæ Regis non aliud occurrit dicere, quam quod fuerit Filia Petri Conſtantinopol. Imperatoris, ex qua nata eſt Jôle, ſeu Hioclesia Jacobo Regi Aragoniæ nupta, quæ meruit fieri Avia Sanctæ Eliſabethæ, Conſortis Dyoniſii Regis, qui 46. annis regnavit in Luſitania uſque ad An. Chriſti 1325.

In reliquo tria præcipue ad immortalem gloriam, & felicitatem Andreæ Regis ſpectare videntur. *Primum eſt:* quod Filiam ſuam *Eliſabetham* Thuringiæ Dominam, adhuc in diebus ſuis Sanctarum numero adſcriptam, ad Aras colere, & venerari potuerit. *Alterum eſt*, quod Saracenos extra Patriam in Aſia perſe-

quendo, multas de iisdem Lauros meſſuerit. *Tertium* denique, quod ad recuperandam Terram Sanctam profectus, Jeroſolymam uſque pervenerit; Damiatam cæperit; in Monte Thabor cum ſuo exercitu conſederit; unde & nomen Hyeroſolimitani indeptus, hocce glorioſo nomine uſque nunc inſignitur. Contulit Andreas Regni ſui Civibus, præſertim nobilibus, ſingularia prorſus, & nunquam intermoritura Privilegia, & ornamenta, quibus Nobilitas Regni in hunc uſque diem præfulget; excepta unica clauſula, quæ in Comitiis Regni Anno 1681. primum; tum & in aliis ſubſequis Regni Diætis in ejus Decreto refixa, annullata, & ex toto mortificata eſt. Obiit glorioſiſſimus hic Rex Anno Domini 1235. tumulatus Varadini ad Pedes S. Ladislai, vel, ut alii malunt, in Monaſterio Egreſs. Ord. Ciſtercienſium, quod ipſe adhuc qua Dux, & Princeps Ungariæ fundaverat ad fluvium Maruſs inter Aradinum, & Cſanadinum, quod dein cum multis aliis Deo dicatis Domibus, & Monaſteriis Tartari ſub Bela IV. Anno 1240. expi-

pilarunt, ac funditus diruerunt, partim Cæsis, partim in perpetuam Captivitatem abductis multis centenis millibus Christianorum; prout hæc omnia Magister Rogerius, eotum Canonicus Varadinen. expost Archi-Episcopus Spalatensis, in suo lamentabili Carmine fuse describit. Duravit hæc extrema Desolatio Regni Hungariæ 3. annis; cessavit Anno 1243. quo tandem iterum Rex Bela IV. abeuntibus tartaris, redivit in Hungariam ex Dalmatia, & ex partibus Venetis, quo se cum multis Baronibus, & Magnatibus, cæterisque Nobilibus Regni receperat.

Vigesimus Rex Hungariæ BELA IV. Filius Andreæ II., Anno 1206. adhuc in Cunis electus est in Regem Hungariæ; post mortem vero Parentis confirmatus, Tria habuit specialia: 1mo. quod 2dus jure merito dici, ac prædicari debeat Fundator Regni Hungariæ ob singularem illam curam, & solicitudinem, qua post Tartarorum discessum, Regnum Hungariæ undequaque lacerum, ac pene eversum non modo iterum restauravit, & in pristinum florem reduxit; sed & fors

au-

auguſtius reddidit, & opulentius. 2do. Quod multarum SS. Virginum Parens, Avus, & Frater eſſe meruerit. Ejus namque Filia fuit *Sancta Cunegundis* Boleslao Regi Poloniæ nupta, quæ poſteaquam una cum Marito ſuo, exinde *Pudico* dicto, heroico plane ſpiritu, ac Deo ſemper plus, ac plus ſerviendi, ac placendi ſtudio Virginitatem etiam in Matrimonio illibatę ſervaſſet, poſt fata Mariti ſui ingreſſa Cænobium Sandicenſe in minori Polonia ſitum, quod ipſa vivente adhuc Marito ſuo pro Monialibus exſtruxerat, condecenterque dotaverat; ibidem poſt continuum omnium fere Chriſtianarum virtutum exercitium ſancto fine quievit Anno 1292. Altera ejus Filia fuit *Eliſabetha*, Henrico Ottonis Bavariæ Ducis Filio nupta, quæ Amitam ſuam Eliſabetham, condam Thuringiæ Dominam, Andreæ II. Regis Filiam, de qua ſuperius mentionem fecimus, in omnium fere virtutum genere preſſiſſime æmulabatur. Tertia ejus Filia fuit *Sabina*, Fundatrix L. Regiæque Civitatis Cibinienſis in Cottu Sároſienſi, Moyſis II. condam Regni

Hun-

Hungariæ Palatini Conthoralis. Quarta nupta fuit Duci Halliciæ. Quinta Leoni Ruſſiæ Duci. Sexta, ut plures alias omittamus, *Sancta Margaretha Virgo*, quæ in Inſula Leporum ad Budam, inter Virgines S. Dominici profeſſa, Sanctimoniæ laude, & prodigiorum fulgore, non modo Ungariam, ſed totum, qua late patet, chriſtianum orbem illuſtravit.

Tertio denique illud ſingulare, & obſervatione dignum eſt in Bela IV.; quod Cumanorum Gentem hoſpitio exceperit, atque nova hac Colonia Eccleſiam Chriſti auxerit: Poſt ſuum ex Dalmatia reditum, bellum movit contra Fridericum Auſtriæ Ducem, a quo fugiens ante Tartaros detentus eſt in Auſtria; non niſi depoſita magna auri vi, & Ceſſione III. Comitatuum, Auſtriæ Viciniorum libertati reſtitutus. In hoc bello cecidit Fridericus Dux; Auſtria devaſtata; & III. Comitatus antea ceſſi, iterum recepti ſunt. In reliquo non abs re Eum quis patienti Jobo comparaverit; utpote, quem Deus, non obſtantibus ejus ſingulari pietate, juſtitia, liberalitate, cæterisque virtutibus, qui-

quibus eximie præfulgebat (non attentis hic quibusdam querelis a Magistro Rogerio insinuatis in miserabili carmine super destructione Regni Hungariæ apud Thuroczium) tentare tamen voluit multis calamitatibus, & afflictionibus in hoc Mundo, sed ita, ut eum iterum expost, dispulsis malorum nubibus in portum serenitatis, ac pristinæ felicitatis solium perduxerit, variisque solatiis cumulaverit. Obiit hic alter Noe, 2dus Parens, & Fundator Regni Hungariæ Anno Domini 1275. die 12. Julii. Sepultus Strigonii ad Ecclesiam Fratrum Minorum. In ejus laudem Joannes Thuroczius hæc Carmina recitat p. 2. Tit. 76. *Dum licuit; tua dum viguit, Rex Bela! potestas; fraus latuit; Pax firma fuit; regnavit honestas.*

Novam Urbem *Budam* in Monte Pestinensi juxta Montem S. Gerardi primus ædificare cæpit Bela IV. post discessum Tartarorum; vetere Buda relicta; quæ dein lapsu temporis post cladem Mohacsianam fere solo æquata, vix pagi faciem retinuit; nunc tamen sub Dominio Comitum Zichy iterum assurgit.

Vi-

Vigesimus primus R. H. STEPHANUS V. optimi Parentis non malus Filius; successit Belæ IV. Parenti suo, eodem Anno, quo hic obiit. Rex omnino magnanimus, & victoriosus; cui ad non modo æquandam, sed & fors superandam paternarum virtutum gloriam non animus defuit, aut virtus, sed tempus; non enim ultra biennium regnavit; hoc tantillo temporis spatio Ottocarum Bohemiæ Regem in ordinem redegit; Bulgariam Ungariæ adjecit. His, & aliis pro immortalitate Nominis sui celeriter, & glorioſe confectis, obiit Anno 1278. sepultus in Insula Budensi. Ex Filiabus ejus duæ hic commemorari merentur; altera *Elisabeth*, quæ Deo famulabatur ut Monialis in Insula Leporum; altera *Maria*, quæ ex Carolo II. Siciliæ Rege, Marito suo, genuit *Ludovicum*, Tholosanum in Gallia Episcopum, qui non diu ab obitu suo, (obiit autem Anno 1297. 19. Aug.) Sanctorum Cathalogo inscriptus per Joannem XXII. Rom. Pontificem, numerum Sanctorum Hungariæ adauxit. Ita nimirum Sanctitas Regum Hungariæ in omnem terram diffundi, ac propagari debebat. Vi-

Vigesimus secundus R. H. LADISLAUS IV. multum degener filius Stephani V. coronatus est in Regem Hungariæ Anno 1278. Virtus, & vitium, si in omnibus, certe in Principibus maxime notantur, tantoque majorem a se diffundunt vel odorem, vel fætorem, quanto in altiori locantur. Ladislaus post egregia, ac plane heroica quam plurima acta & facta in libidinosum cœnum cecidisse notatur. Bonf. D. 2. L. 8. Spreta, & insuper habita sua legitima Consorte *Elisabetha*, Caroli I. Siciliæ Regis filia, Cumanas mulieres in pellices sibi adsciscens, & se, & totum regnum suum plurimis malis, ac fere ultimæ ruinæ exposuit. Ut saperet, Divinarumque Legum observantior esset, Apostolicis censuris non semel admonitus est, sed incassum; Difficile enim sapit, cui præter illicitas Veneris sordes nihil sapit! tantum præterea interest juvenum, virtutibus, & non vitiis a puero assuescere; adolescens enim juxta viam suam ambulans, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Prov. 22. & 30. pronus autem est homo in malum ab adolescentia sua,

ſua, ut Sacræ Litteræ teſtantur Gen. 6. & 8. Atque hæc eſt via illa hominis in adoleſcentia ſua, via peſſima, via plena periculi, a qua niſi mature per bonam diſciplinam, & ſolertem educationem avocetur, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea; natura ipſa in id ſemper, quod deterius eſt, magis, quam quod bonum eſt, inclinante. Cæterum Ladislaus Cumanos ſibi rebelles compeſcere volens, conflixit cum iisdem ad Kôrôſzeg Anno 1290. in quo conflictu etiam cecidit non ſine vera pœnitudine noxarum ſuarum; ſepultus Cſanadini. Sub hoc Rege in tantam egeſtatem deveniſſe ſcribitur Regnum Hungariæ, ut vix aliqui fuerint e civibus, etſi alias olim ſatis opulentis, qui equo, & curru uterentur; verum carros pro curribus, homines pro jumentis adhibere debuerint; unde uſque nunc apud Ungaros, vehiculum ſimplex duarum rotarum, currus Ladislai Chuni appellatur. His tamen non obſtantibus, fuit Ladislaus in Eccleſiam, & nonnullos cives, præſertim Cumanos non parum liberalis; binas Patribus Franciſcanis Eccleſias erexit; unam

Posonii, alteram Albæ Regali. Lodomerium Archi-Episcopum Strigon. Patris loco habere visus est; cujus si consiliis obediens fuisset, atque veneri, & impotenti iræ frenos injeciisset, fuisset Ladislaus Princeps omnium amore, & immortali memoria digniſſimus. Regnavit annos 12. Decreta nulla edidit. Ætate hujus Regis vixit *Rudolphus Habſpurgicus* in Imperatorem Roman. electus, & *Ottocarus* Bohemiæ Rex, quem Ladislaus, Hungariæ fines infestantem non semel repulit, & devicit.

Vigesimus tertius R.H. ANDREAS III. Venetus, nepos Andreæ II. Hungariæ Regis, & Beatricis Estensis; natus utpote ex Stephano posthumo Andreæ Regis filio, & ex Catharina Veneta Maurocana. Bonf. D. 2. L. 9. Vivente adhuc Ladislao IV. evocatus est in Hungariam a quibusdam Proceribus ex Italia cum spe obtinendæ Coronæ, quam & illico obtinuit post occasum Ladislai, cum hic sine hærede masculo decessisset. Fuit Andreas erga plurimos beneficus, & liberalis; Lodomerio Archi-Episcopo Strigonienſi

Ros-

Rosnaviam jure perpetuo donavit possidendam Anno 1291. Humanis ereptus est Anno 1301, die 4. Jan. postquam infelici casu venenum hausisset, quod aliis paratum erat per Reginam viduam Catharinam; sepultus Budæ apud Minores, nullo pariter relicto post se hærede masculo; atque sic in ipso exstincta est stirps virilis descendens a Geyza I. Duce Ungarorum, Patre S. Stephani Regis Hungariæ. Filiam, quam habebat, *Elisabetham* ex prima uxore Phenenna, Glogoviæ Ducis filia in Silesia nata, elocaverat Venceslao, ejusdem nominis Venceslai Regis Bohemiæ filio, quam tamen ille exposit repudiavit, ducta altera uxore, Ducis Teschinensis filia. Hoc tamen non obstante, Venceslaus hic eidem in Corona Hungariæ successit.

Vigesimus quartus Rex Hung. VENCESLAUS, filius Venceslai Regis Bohemiæ, per lineam fœmineam ex sanguine Regum Hungariæ descendens, coronatus est in Regem Hungariæ Anno 1301. verum non diu licuit Venceslao frui sua felicitate; videns etenim Ungarorum a-

nimos inter se discordes, & a se alienatos, aliis utpote in Ottonem Bavarum, aliis in Carolum Robertum Caroli Martelli Siciliæ Regis primo-genitum inclinantibus, imo ad Coronam Ungariæ capessendam evocantibus, collectis rebus suis, ac una etiam diademate Regni secum accepto, seceſſit in Bohemiam ad parentem, vel ut inde habenas Regni commodius moderaretur, vel ut adjutus valido exercitu, rediens in Ungariam, refractarios sibi, & inobedientes compesceret. Interea temporis Ungari sibi Ottonem Bavarum in Regem elegerunt; quo audito depoſita spe, aut animo retinendæ Regiæ dignitatis, Coronam Ottoni Anno 1304. sponte resignavit. Quapropter, ut conjicere fas est; occisus est Olomucii in Moravia Anno 1306. die 27. Aug. vel a suis, vel a sicario ad hoc subornato. Venceslaus hic fertur Terræ Scepusienſi primus dedisse Episcopum quemdam Andream, vel Jacobum, cui an ultra quis succeſſerit? ignoratur.

Vigesimus quintus Rex Hung. OTTO Bavarus, abnepos Belæ IV., nepos ut-

utpote Eliſabethæ Belæ Regis filiæ, quæ nupſerat Henrico, Ottonis Ducis Bavariæ filio, ut dictum eſt ſupra, coronatus eſt in Regem Hungariæ Anno 1305. verum quemadmodum Venceslao, ita nec Ottoni licuit diu ſuo regali munere quiete frui. Cum enim ſeu juvenilis animi impetu, & petigine, ſeu nimia in obtento regalis culminis gradu complacentia incitatus, ſeu majoris ſibi, exemploEmerici Regis (cujus ſuperius meminimus) conciliandæ authoritatis gratia, Sacram Coronam, ſemper, & ubique vel in capite, vel in manibus oſtentando geſtaret; tantum ſibi odium, & contemptum omnium fere Regnicolarum concivit, ut de altero in locum ejus ſurrogando, mox ab exordio regiminis illius cogitare cæperint. Contigit autem, ut & in Tranſylvaniam delaberetur; ubi dum æque, ac alibi per vicos, & plateas diademate ornatus, ſuperbe incederet, Vayvoda Tranſylvaniæ *Ladislaus*, quem alii ex genere Apor, vel Opor, alii ex genereCsákiorum fuiſſe autumant, tantam Regiæ dignitatis oſtentationem aut potius proſtitutionem ferre

impatiens, eundem capi, corona privari, & in carcerem dari præcepit; ex quo nescitur, quo astu? elapsus, recta in Bavariam tetendit, non amplius inde reversurus. Illud hic retulisse plurimum refert: dum Otto Rex in Transylvaniam proficiscereturr, Sacram coronam ex curru, vel equo per incuriam famulorum decidisse, ac integra die juxta viam regiam, qua multos prætervehi, aut præterire necesse erat, hæsisse, nemine illam ex prætereuntibus vel videntе, vel attingere audente, quam expost redeuntes famuli regii, eodem, quo ceciderat loco inventam post Ottonem deportarunt; quod sine speciali protectione Dei factum fuisse, quis affirmaverit? obiit Otto extra Ungariam, postquam Anno 1308. ex carcere eliberatus fuisset.

Vigesimus sextus Rex Hungar. CAROLUS, vel antiquo stylo KARULUS I. ROBERTUS, Caroli Martelli Siciliæ Regis filius, coronatus quidem jam erat Anno 1300. in possessionem tamen Coronæ non venit, nisi 1310. a quibusdam factiosis Proceribus a regno impeditus, signan-

nanter a Ladislao Vayvoda Transylvaniæ, & Matthæo Palatino, dicto Trenchinienſi, quocum ei perpetuæ expoſt etiam ſimultates fuerunt, & a quo tractus ille Vaganus, a Trencſinio uſque Danubium protenſus olim, imo & nunc *Mátyás Főlde* dicitur. Interea autem fuit Carolus omnium fere Regum potentiſſimus, & glorioſiſſimus, utpote, qui 10. integris regnis imperitabat; domi, forisque feliciſſimus, Deo, hominibusq; gratioſiſſimus. Ex quarta uxore *Eliſabetha* Uladislai Poloniæ Regis filia habuit 3. filios: *Ludovicum* nempe, qui ei in regno ſucceſſit; *Andream*, qui ducta Joanna Siciliæ Regni hærede, uxoris iniquitate Anno 1345. laqueo vitam amiſit Aversæ. Tertium *Stephanum*, Principem, dum viveret, Tranſylvaniæ. Exceſſit e vivis Carolus Anno 1342. ſepultus Albæ Regali, ſummum ſui deſiderium, & memoriam perpetuam relinquens apud Ungaros. Conjux vero ejus Eliſabetha ſoror Caſimiri Poloniæ Regis, trium modo dictorum Filiorum mater, obiit Anno 1379.

Vigesimus septimus Rex Hungariæ LUDOVICUS I. Caroli Roberti optimi Parentis, æqualis virtute, si non major Filius; natus est Anno 1326. coronatus in Regem Hungariæ Anno 1342. Obiit Tyrnaviæ Anno 1382. 12. Sept. ætatis 56. sepultus Albæ Regali in Sacello a se exstructo. Præter 10. illas Coronas a Patre suo possessas, duas præterea Coronas suo Capiti innexuit, Coronam utpote Regni Neapolis, & Poloniæ; tot Regnorum Dominus, & Moderator, quæ, & quanta egerit pro Deo, pro Ecclesia, pro Justitia, pro Salute populorum suorum? brevi compendio enarrari non possunt; sunt, qui ea omnia, copiosa, & diserta oratione prosequuntur; nobis non licet esse ita disertis. Andreæ Fratris sui Necem Ulturus in Italiam excurrit; ut Joannam Viduam Regno Neapolis privaret; quod tamen ei expost iterum ad preces, & interpositionem Summi Pontificis heroico animo restituit. Bonf. D. 2. L. 10. Ecclesiam Romanam, & summos Pontifices ab hostibus non semel defendit, & liberavit; unde etiam Pupilla, & Signifer

Sa-

Sanctæ Rom. Ecclesiæ dici meruit. MARIAM, Hungarorum Dominam, cujus præsentaneam opem non semel expertus est, quantopere coluerit? quam addictus fuerit ejusdem laudibus, & honoribus, loquitur usque nunc Basilica Cellensis in Styria, quam ex fundamentis constrúi curavit Anno 1364. Hebræos in sua infidelitate pertinaces ex toto Regno exegit, Civium loco habiturus, si Christiana sacra suscepissent. Inter reliqua pietatis opera, duo in Hungaria Religiosis Viris Asceteria erexit; unum in Lövöld pro Carthusianis; alterum in Nostrhe pro Paulinis, qui jam ab Anno 1250. in Regno Hungariæ multiplicari, & ad communem vitam, desertis Eremis, colligi cœperant; utraque sacræ solitudini, divinisque laudibus decantandis opportunissima. Conspicuam adeo pietatem, & liberalitatem Ludovici Regis in res sacras æmulari volentes alii quoque Proceres, & Nobiles Regni, tot undique Templa, & sacra Domicilia erexerunt, ac stabiliverunt in Hungaria, ut Bonfinius Matthiæ Regis Historicus non dubitarit scribere Dec. 2. L.

10. sub Ludovico I. tertiam partem Regni a Religione in Divinum Cultum possessam fuisse. Cœnobium in Munkács erectum est Anno 1360. pro Religiosis græci Ritus, a quodam Theodoro Keriatovich, ex Russia oriundo, qui se Ducem Munkacsiensem scribebat; quod dein Isabella polona, Joannis Regis de Zápolya relicta vidua, quibusdam privilegiis auctum, in hunc, quem ad usque nunc habet, florem perduxit. Eodem fere tempore assurrexit Asceterium Cseztochoviense in Polonia, quod quidam *Ladislaus*, (Polonusne fuerit? aut Ungarus, vel Russus? non constat) Dux Opuliæ, & Velunensis, Palatinus Regni Hungariæ, & Gubernator Russiæ, seu Roxiæ (nam & hanc diu possedit Ludovicus I. qua Rex Poloniæ) Ludovico I. acceptissimus, ex fundamentis erexit, & multis utilitatibus locupletavit; tradiditque illud Patribus Paulinis ex Hungaria eo accitis; Horum insuper curæ, & custodiæ commisit miraculosam Iconem Beatissimæ Dei Genitricis ex Russia allatam (creditur esse opus S. Lucæ Evangelistæ) quam Deus

us in hæc usque tempora miraculorum gloria illustrare non cessat. Ob recolendam, conservandamque gratam memoriam Ludovici I. ejusdem natu minorem Filiam, *Hedvigem* dictam, elegerunt sibi Poloni in Reginam Anno 1383. quæ cum nupsisset *Jagelloni* Lithuaniæ Duci, dein Ladislao IV. dicto, & hunc, & totam Lithuaniam, eotum adhuc gentilem, Deo, & Ecclesiæ, & Regno Poloniarum in perpetuum lucri fecit.

In aula Ludovici I. traditur fuisse quidam Aulicus, *Botondi* nomine, qui glires, & mures, & feles, ac reliqua ab usu, & esu humano secreta animalia & insecta sapidissime, & absque ullo nocumento valetudinis edebat. Rutheniam, imo & Galliciam, ac Lodomeriam Ludovicus Rex usque ad mortem feliciter possedit. Veneti ei annue 7000. Aureorum pendebant. Plura alia Ludovici Regis encomia, & heroicas virtutes, quibus omnium sui ævi coronatorum Principum gloriam, & felicitatem vel æquavit, vel superavit, aliorum fusiora monumenta suppeditabunt.

Vi-

Vigesimus octavus Rex Hungariæ MARIA I. Filia natu major Ludovici I.; Coronata est in Regem Hungariæ Anno 1382. statim post obitum Genitoris sui. Bonf. D. 3. L. 1. Tantum pondus, & illicium habuit virtus, & immortalia merita Ludovici I. Regis in animis Ungarorum, ut præter omnium antecedaneorum sæculorum consuetudinem in defectu masculini sexus hæredis, Filiam ejus Mariam Regem esse suum voluerint; quo & mærorem suum, quem de obitu illius conceperant, tanto tolerantius solarentur viso vivo antitypo tanti Parentis; & facto ipso testificarentur universo orbi, se non alteri, quam Ludovici Regis sanguini velle subesse, eumque ut perpetuus esset in Regali solio, votis omnibus percupere. Duobus non nisi annis licuit Mariæ pacifice regnare cum Matre sua Elisabetha. Interea factiosi quidam, & novarum rerum plus, quam salus Reipublicæ exigebat, studiosi, signanter Joannes Horvath, vel Hericarth Banus Croatiæ; Prior item Auranæ cum Stephano Laczkffio in Dalmatia, Croatia, & Sclavonia lon-

ge,

de, lateque dominantes, Carolo Parvo ex Apulia evocato Coronam Regni imponi fecerunt Anno 1384. Hinc

Vigesimus nonus Rex Hungariæ CAROLUS II. dictus Parvus ex Apulia oriundus, descendens ex sanguine Regum Siciliæ, & ex Ungara Matre Andreæ Regis filia Maria; posteaquam in conspectu Reginarum, consensu plurium Conjuratorum Procerum coronatus fuisset in Regem Hungariæ; Reginæ collato consilio cum Nicolao Gara Palatino, & Blasio Forgács uno ex fidissimis suis servitoribus, eundem e medio tollere constituerunt; advocato ergo eo ad colloquium sub specie amicitiæ, Maria Regina exclamasse fertur: aggredere Forgács, & fac, quod jussum est; seca! seca! Forgács! tuum erit Gymes, & Gács! aggressus itaque Forgácsius Carolum, eundem secundum caput lethaliter læsit, ex quo vulnere non diu post in carcere exspiravit, postquam uno tantum Anno regnasset. Arces porro Gymes, & Gács, Excelsa Familia Forgácsiana usque nunc possidet, ac una effigiem coronatæ mulieris, (forte

Ma-

Mariæ Reginæ) in præmium bene navatæ per Blasium condam Forgács operæ, pro insignibus gerit. Occiso ita, & e medio sublato Carolo parvo, Reginæ trepidæ omnino, & non sine metu regnarunt, donec tandem, omnis quasi periculi oblitæ, dum in Dalmatiam proficiscerentur in Comitatu Nicolai Gára Regni Hungariæ Palatini, & Gubernatoris, Blasii item Forgács, ac aliorum suorum Aulicorum, mense Januario, Anno 1386. in Casses Joannis Horvath Bani Croatiæ inciderunt, a quo Maria, Regina capta, & in carcerem data est; Elisabetha vero Regina vidua cum toto satellitio regio misere trucidata. Aliqui volunt Elisab. in aquam projectam, alii in carcere suffocatam esse. Nicolaus porro Gára fertur mille sagittas adverso pectore excepisse, antequam deficiente spiritu se se subdere, imo animam ponere coactus fuerit. Audita hacce Tragædia, & luctuosissimo casu Reginarum Sigismundus, Sponsus Mariæ Reginæ, Marchio Brandeburgicus, Filius Caroli IV. Imperatoris, ac Bohemiæ Regis valido cum exercitu quam citissime in Hungariam

riam accurrit, ſponſamque ſuam ex Dalmatia a carceribus ſolutam in Hungariam deferri curavit; quam ubi ſibi ſacro Hymenæo ſociaſſet, electus & coronatus eſt in Regem Hungariæ Anno 1387. Hinc

Trigeſimus Rex Hung. SIGISMUNDUS Marchio Brandeburgicus, expoſt etiam Rex Bohemiæ, & Romanorum Imperator; in Roman. Imperatorem tribus coronis coronatus eſt Anno 1410. una Aquisgrani; altera Mediolani; tertia Romæ ab Eugenio IV. Rom. Pontifice. Simul atque in corona Hungariæ ſtabilitus fuiſſet; illico de homicidis, & criminis læſæ Majeſtatis reis ſupplicium ſumpſit. Joannem Hericarth, alias Horvath, Croatiæ Banum, conjurationis in Reginas coryphæum, & executorem, poſt plures cruentas velitationes captum, Quinque Eccleſiis primum candentibus forcipibus lacerari, caudæ dein equi alligatum per plateas raptari, ac tandem in 4. partes ſectum ad portas civitatis ſuſpendi fecit; reliquis cointereſſatis, qui capi poterant, capite minutis, excepto ſolo Epiſcopo Zagrabienſi, quodam Italo, quem Ludo-

dovicus I. adhunc honoris gradum sublimaverat, ob respectum Episcopalis characteris, non vita, sed perpetuis carceribus mulctato, ut habet Gregorius Pethô in sua Chronica. Nec tamen expost etiam fuit undequaque felix, & pacatum gubernium Sigismundi Regis. Nam 1mo Stephanus Kont de Hedervára associatis sibi pluribus Regni Nobilibus, susque deque grassabatur per regnum, & populum ad defectionem a Sigismundo Rege hortabatur, præsertim post obitum Mariæ Reginæ, quæ cum improlis Anno 1392. ex hac vita decessisset, nihil Juris ultra restare Sigismundo in coronam R. H. dictitabat. Hunc proinde, ac reliquos complices una nocte captos, Budæ carnificis manu expediri curavit, addito etiam uno ex servis Stephani Kont, *Csóka* nomine, propterea, quod, dum eum Sigismundus Rex mortem sui domini doloroſius deplorantem solaretur, ac se, ejus meliorem dominum futurum polliceretur, insolenter omnino, & nimis quam audacter responderit: *se talem Bohemicum s. v. porcum pro domino habere non velle*; ob quod dictum

ctum eidem quoque illico caput deponi jussit; quæ res non usquequaque placuit multis Proceribus judicantibus: tam justo, & intenso dolori indulgendum fuisse. Idem Pethô in Chronica Ungariæ. 2do: ad Nicopolim minorem, quæ est urbs Valachiæ ad Istrum sita, Sigismundus nimium præfidens in numero, & delectu suorum militum cum Bajazethe Turcarum Imperatore confligere ausus, adeo profligatus est Anno 1396. ut amissis omnibus impedimentis, & 20. insuper millibus suorum, a potiori Nobilium, ipse vix exigua cymbula trajecto Danubio effugere, atque se Constantinopolim ad Græcorum Imperatorem recipere potuerit. His, & aliis multum infelicibus casibus, animos Ungarorum exulcerantibus, plures in dies in eum conjurationes propulularunt. Mox enim ut redivit Constantinopoli in Hungariam, captus est per Stephanum Laczkffium Vayvodam Transylvaniæ, & Filiis Nicolai Gára condam Palatini, traditus ad custodiendum, ne quo modo elaberetur. Bonf. D. 3. l. 2. cujus sortem miserata vidua Nicolai Gára, apud

filios ſuos effecit, ut eum liberum dimiſerint; qui nihil moratus in Hungaria, recta tetendit in Bohemiam, & Germaniam, reliquorum ibidem Principum opem, & aſſiſtentiam imploraturus. Interea temporis non pauci Ungarorum ex utroque ſtatu, habito intra ſe conſilio, contra Sigismundum evocarunt ex Sicilia *Ladislaum*, Caroli parvi, per Mariam occiſi Filium, eo fine, ut eum, excluſo, & degradato Sigismundo in regem Hungariæ ſublimarent: non eſt tamen auſus Ladislaus Hungariam ingredi, verum Jadræ in Dalmatia ſubſtitit, ibique Regis inſignia accepit: quo nuntio accepto Sigismundus ſelecto cum exercitu ſtipatus, regreſſus in Hungariam omnes ſuos hoſtes, & factionis incentores adeo valide conterruit, & punivit, ut nullus impoſterum, vel hiſcere contra eum auſus fuerit; ope præſertim cujusdam Equitis Poloni *Stiborii* de Stiborics dicti, cujus fidem, & conſtantiam in tuendis Juribus Regis, & Regni contra factioſos, præmiaturus Sigismundus, ad ſummos eum honores, & dignitates evexit.

xit ; Fecit etenim eum Principem, & Vayvodam Tranſylvaniæ; partium Vaganarum Dominum, Comitem Nittriæ, & Biztriciæ; Gubernatorem Archi-Epiſcopatus Strigonienſis, & Epiſcopatus Agrienſis, uſque dum iterum Joanni de Kaniſa Archi-Epiſcopo Strigonienſi Bona ſui Archi-Epiſcopatus reſtituiſſet: Epiſcopatum vero Agrienſem per diſceſſum Thomæ de Ludán vacantem, Stiborio de minori Szobovics contuliſſet. Stephanum Laczkfium ipſimet Regnicolæ in comitiis, ob plura alia etiam in perniciem Regni intentata flagitia, ſuiſmet armis in fruſta conſciderunt in conventu Criſienſi, præſente Sigismundo Rege, & Regina Anno 1405. Teſte Paulo de Paulo in ſuo Diario. Stiborius hic Princeps, de quo paulo ante locuti ſumus, condidit Præpoſituram Vágh-Ujbelienſem, & arcem Beczkó, olim *Bolond-vár* dictam. Tandem Sigismundus Rex electus eſt in Imperatorem Romanorum Anno 1410. ut dictum eſt ſupra. Tredecim Oppida in Scepuſio, & arcem Lublo, ac Podolinum oppignoravit Polonis Anno 1412. in 89.

millibus Imperialium, quos in Regni neceſſitates convertit. Poſt obitum Mariæ Reginæ, connubio ſibi junxit Sigismundus Hermanni Ciliæ, & Zagoriæ Comitis Filiam, tanto thoro prorſus indignam, ex qua nihilominus genuit *Eliſabetham* Alberto Auſtriaco, expoſt Hungariæ Regi, & Imperatori deſponſatam. Tempore Sigismundi Regis tres ruſticæ ſeditiones exortæ ſunt: una Duce quodam *Blaskóne*, qui Tyrnaviam cæpit, & excidit. Altera in Tranſylvania, ubi ruſtica plebs in Regem ſibi elegit quempiam Antonium Biró. Tertia poſt Tybiſcum, ubi pariter ruſtici quempiam Martinum itidem Biró Regem ſibi conſtituerunt; verum omnes hæ ſeditiones per militiam regis, & Regni, tum cito, tum feliciter ſopitæ, ac complanatæ ſunt incentoribus illarum captis, & pro merito caſtigatis. Bonf. D. 3. L. 3. Obiit Sigismundus Imperator, & Rex Hungariæ Anno 1437. 9. Decembr. poſtquam rebus Hungaricis annos 50. unum, vel duos præfuiſſet, de de quo illud cum veritate dici poteſt: futurum Sigismundum ævi ſui Principem ma-

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

maximum, ſi quantum ei adſtiterat Minerva, ſeu Pallas ornando ipſum omni fere ſcientiarum genere, ſapientia, fide, Religionis zelo &c. tantum ex adverſo Mars eidem, ſeu bellandi fortuna non invidiſſet. Ut ſtatum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ nonnullorum Regum, & Cardinalium ad tempus in electione Pontificum diſſidentium pertinacia turbatum ſua authoritate, & conſiliorum efficacia, ad priſtinam pacem, & tranquilitatem reduceret, nihil non egit, ſeu apud Reges, ſeu apud plures ad ſemel electos Pontifices, ut deſideriorum ſuorum compos fieret; quin Concilio Generali Conſtantienſi Anno 1414. celebrato ipſemet perſonaliter interfuit, in eoque duo principaliſſime effecit: Imo. quod ſciſſio Cardinalium in diverſos Pontifices inclinantium ſublata ſit. 2do: quod non modo Joannes Vicleff hæreticus in Anglia miſere defunctus cum multis Articulis ex libris ejus excerptis damnatus fuerit; ſed & Joannes Huſs, & Hyeronimus Pragenſis, Huſſitarum in Bohemia Anteſignani, gradu, & honore ſacerdotali exuti, ac ad

dignam demeritis ſuis pœnam recipiendam curiæ ſæculari traditi ſint; quos dein Sigismundus Imperator, tanquam obdurati cordis Hæreſiarchas reſipiſcere nolentes, vivos comburi fecit; propter quod ultimum, ſummum juſtitiæ, & pietatis in Deum, ac Eccleſiam Catholicam documentum, bellandum fuit Sigismundo cum *Ziſska* Bohemo, quem Huſſitæ in Bohemia, tametſi cæcum, & utroque lumine orbatum, in ſuum Belli-Ducem elegerant, donec tandem variante fortuna, & Ziſska, utpote *cæcus*, & omnes, qui ejus ducatum ſequebantur in foveam ceciderint, conſequenter Sigismundo Imperatori herbam porrigere ſint coacti. Ita permittit quandoque Deus Eccleſiam ſuam per factiones hominum, & hæreſes turbari, ut, & qui ſui ſunt, manifeſti fiant; & pateat omnibus, Eccleſiæ ſtatum, non humanis, ſed Divinis regi, & conſervari diſpoſitionibus. Fertur *Ziſska* hic magicis artibus imbutus, Huſſitarum Dux, & Coryphæus ſuis clientibus præcepiſſe ultima voluntate, quatenus ſe poſt mortem excoriarent, & ex ſua pelle Tympa-

panum conficerent assecurans eos, ad sonitum hujus Tympani omnes Catholicos debellandos fore; quasi vero Deus omnem suam Divinam potentiam, suorumque Fidelium vitam, & fortunas, unius ejusmodi infernalis mancipii voluntati alligasset, aut alligare debuisset. Post obitum Venceslai Regis, & Imperatoris, ab Hussitis occisus est quidam *Fanaticus*, qui in Bohemiam hæresim Adamitarum inducere volebat, teste Bonif. D. 3. L. 2. *Bajazethem*, a quo Sigismundus Rex victus est ad Nicopolim, sequenti statim anno, Tamerlanes Tartarorum Chamus cæpit, eumque aureæ catenæ ligatum in ferrea cavea circumduxit; quod indignissime ferens Bajazetes Bipedum superbissimus, alliso in crates ferreas capite, mori maluit, quam tantum dedecus ulterius pati. Tempore Sigismundi Regis Hungariæ, & Romanorum Imperatoris, magnos progressus fecerunt Angli in Gallia, sub Carolo VII. Galliæ Rege, ex suo regno pene ejecto; cui tamen opportune succurrit quædam puella rustica Aurelianensis *de Arc* dicta, Annorum 18. cujus

ductu, & auſpiciis, Angli iterum undique excuſſi, & profligati ſunt. Ipſa tandem capta ab Anglis ad rogum damnata eſt ſub prætextu criminis: quaſi vero inſtigante Dæmone, qua ſaga ſe ſe Belli negotiis immiſcuiſſet, conſequenter Gallis ſuis præſtigiis non modo reſiſtendi virtutem tam ſubito, ſed & quam plurimas victoriarum Lauros procuraſſet; verum ab hoc infami ſcelere, ſunt quam plurimi, qui eam, ut innocentem defendunt; atque ejus Martialem animum omnesque ejus heroicos actus, quos fecit, vel peculiari Divino inſtinctui, vel vero commiſerationis affectui adſcribunt, quo mota, fatiſcentemque Gentis ſuæ fortunam miſerata, Palladem induit loricatam, ſuæque Genti tanta alacritate, audacia, fortitudine adſtitit, & opitulata eſt, ut eam paulo poſt a Jugo Anglorum, velut altera Debora, & Jaël liberaverit.

Trigeſimus primus Rex Hungariæ, ALBERTUS Auſtriæ Dux, Gener Sigismundi Regis coronatus eſt in Regem Hungariæ Anno 1438. die 1ma Januarii. Ex *Eliſabetha* conſorte ſua genuit filiam

iti-

itidem Elisabetham, Casimiro Regi Poloniæ nuptam; ex qua natus est Uladislaus II. qui post Matthiam Corvinum, Sceptrum Ungariæ obtinuit. Obiit Albertus qua jam Imperator Romanorum, Anno 1439. die 27. Octobr. sepultus Albæ Regali, vel ut volunt alii, Viennæ. Reliquit post se Uxorem gravidam, ex qua natus est *Ladislaus*, posthumus dictus, factus dein Rex Ungariæ, post Uladislaum I. Polonum, qui in pugna ad Varnam cecidit. Sub Alberto Rege, & Imperatore, Budæ, Cives Germani, contra suos Concives Ungaros insurrexerant, his autem prævalentibus, fere ad internecionem deleti sunt. Bonif. D. 3. L. 4.

Trigesimus secundus Rex Hungariæ, ULADISLAUS I. ex Duce Lithuaniæ, evocatus est ad thronum Hungariæ a majori parte Procerum, & Nobilium contra Ladislaum posthumum Alberti Regis filium, utpote eotum adhuc infantem, & ad tractanda Regni gubernacula inhabilem; coronatusque est Anno 1440. die 17. Julii, corona sumpta ex statua S. Stephani, absente alia corona Apostolica,

quàm Elisabetha Alberti Regis vidua in Austriam secum abstulerat ad Fridericum IV. Imperatorem. Bonf. D. 3. l. 4. & 6. Post 4. annos cecidit hic vita longiore dignissimus Princeps in pugna Varnensi Anno ætatis suæ 21. non quod fidem iniquis alioquin conditionibus Turcæ datam fregerit, sed quia cum paucis suorum, iisque inter se discordibus ingentem multitudinem hostium aggredi ausus fuerit. Si in multis aliis, certe in bellando, & nimia securitas, & nimius fervor vitandus.

Trigesimus tertius Rex Hungar. LADISLAUS V. posthumus, Alberti Regis, & Imperatoris filius, natus Comaromii Anno 1440. 22. Febr. ex Elisabetha Sigismundi Imperatoris, & Regis Hungariæ filia: eodem quidem Anno coronatus est in Regem Hungariæ, sed a majori parte Ungarorum rejectus, adducto in ejus locum Uladislao Polono, ut mox dictum est. Quo tandem in clade Varnensi extincto, acceptatus est ab omnibus Ordinibus Regni pro Rege, ita tamen, ut interea donec adolesceret, *Joannes Corvinus de Hunyad*, heros ille invincibilis, qui in ul-

ulteriorem felicitatem patriæ ex clade Varnensi, mira Dei providentia evaserat, rebus Hungaricis præesset, totumque Regnum gubernaret, prout & gubernavit usque ad Annum 1450. abhinc vero Ladislaus Rex solus regnavit, quo regnante capta est Constantinopolis a Mahomete II. Anno 1453. Sub hoc præterea Rege floruit in Hungaria *S. Capistranus* Ord. S. Francisci, Turcarum glorioſissimus debellator, Achates Joannis Corvini. Contigit autem, ut post fata Joannis Corvini Gubernatoris, quidam Ciliæ Comes, Regis, & Reginæ consanguineus, non aliunde, quam invidiæ zelo exstimulatus Corvini filios, Ladislaum nempe, & Mathiam, non minus, ac olim eorum parentem persequeretur, iisque insidias strueret; quo cognito, Ladislaus, natu major, filius Joannis Corvini, Ciliæ Comitem ad singulare certamen provocatum Belgradi occidit. Quo audito nimium exardescens Ladislaus Rex, utrumque filium Joannis Corvini, viri illius meritissimi, qui tot, & tanta, ac tam utilia obsequia præstitit Regi, & Regno, contra

tra Amurathem, & Mahometem II. Turcarum Imperatorem non semel feliciſſime pugnando, illico capi, & ad ſe Budam deferri curavit. *Ladislaus* non multo poſt, decreto Regis pœnam capitis ſubiit; *Mathias* vero primum quidem ad Fridericum Imperatorem Viennam, inde vero ad Podiebradium Bohemiæ Regem Pragam delatus eſt in captivitatem. Fertur Carnifex, cui expeditio Ladislai de Hunyad commiſſa fuit, non niſi ad quintum ictum caput ejusdem deponere potuiſſe. Tanta, & tam robuſta fuit vel corporis conſtitutio in ipſo! in reliquo videtur Deus ipſe præcipitem iram, & minus ſanum judicium Ladislai Regis haud approbaſſe; nam & ipſe paulo poſt mortuus eſt Pragæ Anno 1457. ætatis ſuæ 18. dum ſponſam ſuam ex Galliis, Caroli VII. Francorum Regis filiam magno cum apparatu, & ſolemnitate operiretur; ſepultus ibidem. Tempore Ladislai V. Regis Hungariæ, primum inventa eſt Typographia Anno 1440. vel 1452. a Germanis; primi, qui typis prodiverunt, libri erant Opera S. Auguſtini de Civitate Dei, &

Ope-

Opera Lactantii: antea sola Manu-scripta circumferebantur inter eruditos, exarata vel in membranis, vel in pargamena, vel in tabulis ligneis cæratis, vel in papyro ex foliis certæ arboris confecta; vario charactere, puta: Hebraico, Græco, Latino, Gothico; Interim Harlemi in Hollandia servatur in catena quidam liber speciose compactus, sub Titulo: *Speculum humanæ Salvationis*, in domo civica; quem Hollandi prætendunt primo loco fuisse impressum (sed forte tantum in Hollandia) nam Moguntia, & Argentina inventionem Typographiæ sibi vendicant. Post mortem Ladislai Regis factus est Gubernator Regni Hungariæ *Michaël Szilágyi*, Vayvoda Transylvaniæ, ex cujus germana sorore natus erat Mathias Corvinus, filius Joannis Corvini, olim Gubernatoris Hungariæ; atque hinc Szilagyius se neglecto tanquam jam provectæ ætatis viro, ut Mathias suus ex sorore nepos, adhuc juvenis, & vegetus, ad thronum Hungariæ perveniret, in Comitiis ad Pesthum in campo Rákos habitis, modis omnibus intendit, & effecit. Hinc

Tri-

Trigesimus quartus Rex Hung. MATHIAS CORVINUS filius natu minor, Joannis Corvini de Hunyad, Vayvodæ Transylv. & olim Gubernatoris Hungariæ, ac Elisabethæ Szilagyiæ sororis Michaëlis Szilágyi; dum adhuc esset in captivitate, & carceribus Pragæ apud Georgium Podiebradium Bohemiæ Regem, & Hussitarum Patronum, unanimi voto, & consensu Regnicolarum in campo Rákos electus est in Regem Hungariæ Anno Dom. 1458. Ad expetendum Mathiam ex carceribus missus est a Statibus Regni Joannes Vitezius Episcopus Varadiensis, Mathiæ olim Pedagogus, & plures alii ex prima Nobilitate Proceres. Bohemiæ Rex, antequam in voluntatem Legatorum abiret, duo sibi præstanda petiit. 1mo: ut Mathias filiam suam Catharinam, aut Cunegundem dictam, sibi in sponsam deligeret. 2do: Ut Ungari in lytrum, aut redemptionem captivitatis, mox & illico 40. aut, ut volunt alii, 60. millia aureorum, sibi effective enumerarent; quorum utroque, vel statim præstito, vel stipulatis manibus appromisso, felicibus

avi-

avibus ductus est Mathias in Ungariam; & in solium Regium collocatus; coronatus tamen non est nisi Anno 1467. propterea, quod coronam Regni Hungariæ, quam Elisabetha mater Ladislai posthumi secum in Austriam ad Fridericum IV. Imperat: detulerat, ab hoc, præ cujus manibus viginti quatuor annos delitescebat, citius extorquere haud potuerit. Possedit Mathias exposť præter Hungariam etiam Silesiam, Moraviam & Lusatiam usque ad mortem, quin & Viennam in Austria cæpit Anno 1485. ubi & mortuus est, ut mox dicemus. Venetos Tributarios habuit, qui ei annue 100. Millia aureorum mittebant. Prima Uxor Mathiæ, fuit *Catharina*, seu Cunegundis Filia Georgii Podiebradii Bohemiæ Regis, ut jam dictum est supra; hæc obiit Budæ improlis Anno 1464. Altera ejus Uxor erat *Beatrix* Ferdinandi Regis Neapolitani filia, quam duxerat Anno 1476. ex qua pariter nullum reliquit Hæredem. Verum tempore Viduitatis suæ, quæ duravit circiter annos 12. ex illegitimo Thoro suscepit Filium *Joannem*, exposť va-

riis

riis dignitatibus auctum; fuit etenim iteratis vicibus Banus Croatiæ, Dalmatiæ & Sclavoniæ; Dux item Liptoviæ, & Oppaviæ; humanis ereptus est Anno 1504. Joannes hic Corvinus Mathiæ Regis Nothus, habuit Filium *Christophorum*, quo extincto, extincta est Stirps Virilis domus Corvinianæ, quæ in Joanne I. & Mathia ejus Filio ad apicem usque humanæ Gloriæ, & felicitatis perveniſſe videbatur. Tempore Mathiæ Regis, quidam Ungarus miles Turcam in prælta Turri Vexillum exponere volentem, cum aliter vincere non poſſet in obſidione Jaiczenſi, una ſecum ex alto præcipitem egit, teſte Bonf. D. 3. L. 10. in fine. Obiit Mathias Rex Viennæ in Auſtria Anno 1490. die 5ta Apr. Sepultus Albæ-Regali, relicta Vidua Beatrice. Fuit autem Mathias Rex, Regum omnium ſi non maximus, adminus cum omnibus facile comparandus; Turcarum domitor acerrimus; Literarum Pater; Pupilla Romanæ Eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis conſervator; Hæreticorum malleus, & Oſor fortiſſimus; cujus non leve ſpecimen dedit

dit tunc, quando Huſſitas terram ſibi in Hungaria dari poſtulantes vivos terræ infodi, & ſepeliri curavit, alias etiam illos in Moravia, & Bohemia bello perſecutus eſt. Bonf. D. 4. L. 2. Juſtitiæ Zelator tantus, ut in diverbium abierit, apud Ungaros (quod usque nunc viget) *mortuus eſt Mathias Rex; periit juſtitia.* Bonf. D. 4. L. 3. Linguarum præterea peritiſſimus utpote, qui præter Turcicam, & Græcam, omnes in Europa linguas loquebatur. Bonf. D. 4. L. 8. Ætate hujus Regis floruerunt in Hungaria ſequentes Viri Celeberrimi: *Joannes Vitezius* primum Varadienſis Epiſcopus, dein Archi-Epiſcopus Strigonienſis a pluribus maximi momenti Legationibus notiſſimus, Mathiæ Regi perquam charus; in fine tamen vitæ ſuæ ob certam conjurationem in Regem, modico tempore in carcere maceratus; volebat enim cum pluribus aliis, *Caſimirum* Caſimiri Poloniæ Regis Filium in locum Mathiæ in Regnum inducere; huic Caſimiro Duci adſcribitur hymnus ille Marianus: *omni die dic Mariæ mea laudes anima.* Dein *Mich. Orſzág* de

Gutt, R. H. Palatinus, qui nullis seu minis, seu promissionibus adduci potuit, ut a suo legitimo coronato Principe deficeret; cujus verba ad factiosos superius recitavimus, in vita Emerici Regis; hic est ille *Michael*, qui in juventute sua cum umbratili quadam militari cohorte puerorum vexillum manu præferens casu obviavit Sigismundo Regi in Hungariam venienti, ad limites Comitatus Mosonienſis, quem cum interogasset Sigismundus, cujus milites estis? respondit Michael nomine omnium: *Regni*. Et quis est vester Rex? reposuit iterum: *Sigismundus*. Delectatus tam sincero, & aperto responso Michaelis Sigismundus, eum secum Budam accepit, & impositio ei cognomine *Ország*, quod Regnum significat, variis eum artibus imbui fecit teste Jongelino. *Urbanus Dóczy* de nagy Luche, Episcopus Agriensis multorum meritorum, & virtutum Præsul, Mathiæ Regi acceptissimus. *Janus*, seu Joannes Pannonius Episcopus Quinque Ecclesiensis, Poëta insignis. *Thomas Bakacs* ab Erdôd Episcopus Jaurinensis, & Cancellarius Regni.

Ran-

Ranzanus Episcopus Lucerinus ex Ord. S. Dom. Legatus Fernandi Siciliæ Regis ad Mathiam; *Antonius* item *Bonfinius* italus, & *Joannes Thuroczius* Prothonotarius Regni, Historici; *Martius Galeatus*, Bibliothecarius Mathiæ Regis, & Secretarius, Author Libelli, de dictis, & factis Salomonis Ungarici, id est: Mathiæ Corvini. Bellica Laude excelluerunt præcipue sequentes: *Stephanus Bathorius*, Vayvoda Transylvaniæ, Turcarum domitor & persecutor strenuissimus. *Paulus Kinisius* cum suo socero *Blasio Magyar*, qui duo ex infima Classe Militum per gradus ascendendo, ad summos honores in militia pervenerunt. Ferunt de Kinisio, quod posteaquam Turca in Campo Kenyér mezzŏ dicto, profligatus fuisset, ipse in signum lætitiæ, arrepto solis dentibus, & elevato cadavere Turcico, saltum in ipsis Castris instituerit; quo pacto, jucundum simul, ac una nunquam satis mirandum spectaculum exhibuit suis spectatoribus; dixisses Herculis vires in Kinisium transmigrasse. Ad Kosztolan Mathias Rex 250. Bohemos Anno 1464. una cum Du-

ce eorum *Suohla* dicto, ob latrocinia in partibus illis exercita, uno die suspendi curavit. *Michael Szilágyi* olim Gubernator Regni Hungariæ, Anno 1466. a Turcis captus, & Constantinopoli capite plexus est: quem sequenti statim Anno secutus est ad æternitatem Alexander Castriotus, alias *Scanderbegus* dictus, Epiri Princeps, Heros ad prodigium fortis, & felix, qui Turcas non una clade protrivit, & a finibus Christianorum avertit. Scribit Petrus Révaius olim Coronæ Custos sub Mathia II. Imperatore, & J. Cottus Thurociensis supremus Comes, in sua Monarchia Hungariæ: *Petrum* Colocensem Archi-Episcopum, ac una Cancellarium Aulæ fuisse a Mathia Rege verberibus exceptum, ac in carcerem missum ad Comitatum Arvensem cum dicto: *Árva fuisti Petre! árva eris; & in Árva morieris:* (árva porro apud Ungaros *Orphanum* significat) propterea, quod Tractatui Pacis, quem Mathias Rex cum Bajazethe Turcarum Imperatore inierat, *Valachiam* lapsu memoriæ non inseruerit. Verum quia Bonfinius non modo synchronus,

sed

ſed omnino domeſticus ſcriptor Mathiæ Regis, nullam mentionem faciat ejuscemodi ſeu verberationis, ſeu adeo amarulentæ exprobrationis; hinc relatio Révaiana non aliter, quam pro ingenioſa quapiam gnome ſubinde per aliquem excogitata, aut joviali paſquillo accipi poteſt, tanto magis, quanto certius eſt: quod Author hic, aliena utpote imbutus doctrina a Fide Catholica, non raro plus paſſioni ſuæ, quam veritati hiſtoricæ tribuiſſe, paſſim noterur ab Eruditis.

Trigeſimus quintus Rex Hung. ULADISLAUS II. Bohemiæ hujus nominis 8. Rex, Filius quondam Caſimiri Regis Bohemiæ, ex Eliſabetha Auſtriaca natus; electus eſt in Regem Hungariæ. Anno 1490. Bonf. D. 4. L. 9. Coronatus eodem Anno 21. Sept. ſpreta Beatrice, Matthiæ Regis Vidua, aſſociavit ſibi in uxorem *Annam* Caſtoris Candelæ in Gallia reguli filiam Anno 1504. 29. Sept. Ex hac natus eſt ei Filius *Ludovicus* Anno 1503. 1. Julii, qui ei expoſt ſucceſſit in Corona, ſed infelici fato; hic etenim temere congreſſus cum Solymanno Turca-

rum Imperatore in Campis Mohacſenſibus, amiſſo exercitu & flore Nobilitatis, dum evadere voluiſſet, fugiens ſubmerſus eſt in Palude, ut inferius dicetur. Habuit præterea Uladislaus Filiam *Annam*, quam Ferdinando I. Auſtriæ Archi-Duci deſponſavit, futuro expoſt Regi Hungariæ & Imperatori. Obiit Uladislaus Anno 1516. die 6to. May. Sepultus Albæ-Regali. Felix in eo, quod nihil ex partis per alios Reges provinciis amiſerit, etſi iisdem nihil addiderit; quietis amantior, quam Belli; graviores curas, & negotia Regni, per alios potius, quam per ſe finire ambiebat; facilis ad approbandum, quidquid per alios geſtum eſt, brevi illo Bohemico vocabulo: *Dobſe*, quod ei nomen expoſt vice agnominis adhæſit. Cæterum Clementia in ſubditos, ſingulari item pietate in Deum, & Eccleſiam immortale ſibi nomen peperit Uladislaus, præſertim apud Nobilitatem Hungaram, cujus commodis & honoribus augendis modis omnibus ſtudebat. Refert Bonf. D. 5. L. 5. ſeu poſtremo, Beatiſſimam V. Mariam cum Jeſulo totam ſo-

la-

laribus radiis circumfusam, apparuisse, & & a pluribus visam fuisse supra Budam; qua apparitione Uladislao Regi authentice relata, dies Immaculatæ Conceptionis (illa enim die contigit) Religiosius ubique in Regno celebrari incæpit. Regnante item Uladislao II. illud contigit memorabile, quod Thomas Bakacs ab Erdôd Card. A. E. Strig. redux Roma ex legatione, & ab electione Leonis X. Papæ, ampliſſimum tulerit secum Thesaurum gratiarum spiritualium pro iis, qui pro recuperanda terra sancta nomen militiæ dederint; confluxerat illico non exiguus numerus hominum rusticorum ad tractanda arma habilium, qui cruciati, seu cruce signati appellabantur. Credebat Cardinalis suos pios conatus optato effectu haud carituros; interim evenit contrarium, nam cruciati hi Anno 1514. incentore quodam *Geor. Dósa* Transilvano, arma verterunt in suos Dominos, & Nobiles Regni, quorum plerosque ex hac vita exturbassent, nisi *Joannes Zapolya* eotum Vayvoda Transylvaniæ opportune accurrens cum suo exercitu, frenum iis-

dem injeciſſet, aliis diſſipatis, & ad aratra remiſſis, aliis pro gravitate delicti, vel gladio, vel laqueo punitis. Atq; ab his ſeditioſis cruciatis probabilius adhæſit nomen *Curuczonum* omnibus iis, qui ſecuturis ſæculis quoquo modo contra Regni ſtatum, aut Regis Perſonam inſurgere præſumpſerunt; cum e contra alii, qui in fidelitate Regis; & Regni permanſerant, *Labanczy* cognominati ſint; ipſa homagiali fidelitate, quadam quaſi catena retenti, ne ſe *Curuczonibus*, id eſt Rebellibus aſſociarent; quod ipſa nominis ratio apud Ungaros explicatius conſiderata innuere videtur. Nam *Lábán-Láncz* unde per contractionem *Labancz* provenit, idem ſignificat, ac eſt catenatus in pedibus; vel portat Catenam, ſeu compedes in pede; fere ad eum modum, quo ſæculo 12. 13. & 14. duplex factio inoleverat; una *Guelphorum*; altera *Gibellinorum*, iſti ſtabant pro; illi contra Imperatores. Sic & ſæculo 16. confæderatio Acatholicorum dicta eſt *unio*; Catholicorum autem fædus dicebatur *Liga*. Cæpit hæc confæderatio Anno 1616. ſub Ferdinando II. Imper. du-

duravitque annis ferme 30. Sub hoc item Rege floruit *Stephanus Verbóczius* Prothonotarius judicis curiæ compilator Decreti Tripartiti, quod a Regnicolis acceptatum, per Uladislaum confirmatum eſt; Verbóczius hic, quia ſe poſt fata Uladislai II. Hatvanini in Palatinum eligi procuraverat, temeritatis ſuæ pœnam proſcriptione luit. Sub Uladislao tandem II. pulſi ſunt Judæi Tyrnavia, propterea, quod puerum Chriſtianum occiderint, ad eliciendum ejus ſanguinem; Judæi enim, ut refert Bonf. D. 5. L. 4. ſtatim ut naſcuntur, ungunt ſe ſanguine Chriſtiano, eoque plures alias cæremonias peragunt ſecundum Ritum ſuæ ſuperſtitioſæ Religionis.

Trigeſimus ſextus Rex Hungar. LUDOVICUS II. Uladislai II. Bohemiæ, & Ungariæ Regis filius, jam in infantia coronatus; ſucceſſit Patri ſuo ſtatim ab obitu ejusdem. Habuit in matrimonio Mariam Maximiliani I. Imperatoris neptem, Filiam Philippi I. Hiſpaniarum Regis, quam duxit Anno 1521. Occubuit Rex hic ad maximas ſpes Hungariæ natus, A.

1526. die 29. Augusti in festo Decollationis S. Joannis Baptistæ Anno ætat. suæ 23. qua die cum Solymanno Turcarum Imperatore, numerosissimum, & selectissimum exercitum ducente, non expectato Joanne Zapolyo Vayvoda Transylvanienſi, qui ei ſuppetias ferebat, cum paucis ſuorum in campis Mohacſenſibus congredi auſus eſt. In hac pugna, præter Regem in palude, dum fugere vellet, ſubmerſum, periit Paulus Tomoræus Archi-Epiſcopus Colocenſis, qui cum Georgio Zapolio Archiſtrategum agebat omnium copiarum Hungaricarum (Stephanus enim Báthorius Palatinus Regni ob dolores pedum hocce munere fungi non valuit) cum pluribus aliis primariis Prælatis, & Proceribus Regni; imo tota quaſi Ungaria cum flore Nobilitatis exſtincta eſt, non niſi iterum per Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam, maximorum Heroum feracem Parentem, priſtinæ ſuæ gloriæ, & felicitati reſtituenda. Hac victoria parta Solymannus Budam, & alia præſidia Ungariæ penes Danubium occupavit; quin ipſam Viennam Auſtriæ ſucceſſu tempo-

ris

ris obsedit. Biennio ante hanc fatalem pugnam, aliquot Proceres, & Nobiles Regni secessione facta a fidelitate Regis, Hatvaninum convenerunt, ibidemque celebrato conventiculo, elegerunt in Palatinum Regni, *Stephanum Verbóczium* totius conspirationis Primipilum, & Incentorem; qui tamen expost in Comitiis Pestiensibus omnes proscripti sunt. Eodem Anno 1524. Budæ in Aula Regia, inter Archi-Episcopum Strigoniensem Ladislaum Szálkán, & C. Christophorum Frangepán gravis exorta est lis, & contentio; a verbis acrioribus deventum est ad verbera; Archi-Episcopus prior barbam Comitis, quam prolixam gerebat, durius attrectavit; hac injuria, ut putabat, provocatus Frangepanus, alapam impegit Archi-Episcopo; quos inter, ut litem dirimeret Ludovicus Rex, petitamque Archi-Episcopo satisfactionem præstaret, *Frangepanum* triduo in turri Manca detineri curavit.

Trigesimus septimus Rex Hungariæ, JOANNES de Zápolya, ex Familia Deákiana oriundus, Vayvoda Transylva-

vaniæ, & Comes Scepusiensis; post fata Ludovici II. diviso regno in duas partes, a quibusdam eidem adhærentibus Proceribus electus est in Regem Hungariæ, & coronatus Albæ Regali 1. Novem. 1526. absente Stephano Bathorio Palatino, qui Ferdinando I. Austriæ Archi-Duci favens, eundem Posonii in Regem Hungariæ proclamari fecit. Habuit Joannes Rex in uxorem *Isabellam* Sigismundi Regis Poloniæ filiam, ex qua genuit *Stephanum*, qui tamen in memoriam Avi Materni, ac Genitoris sui communiter dictus est *Joannes Sigismundus*, primum in hæresim Calvinianam; inde in Arianam, opera cujusdam Blandratæ Medici delapsus. Obiit Joannes Rex in Transylvania Anno 1540. de quo illud cum veritate dici potest: quod quantum sibi gloriæ pepererit exinde, quod a quibusdam patriæ civibus, regali solio dignus, & idoneus judicatus sit; tantundem e contra, si non plus dedecoris, aut tristis memoriæ post se reliquit propterea, quod societate inita cum Turcis, non modo charam suam Patriam Hungariam, tan-

quam

quam antemuralem Provinciam totius Christianitatis; sed & ipsam totam quantam Christianitatem in extremum quasi discrimen perdendæ omnigenæ felicitatis tum animæ, tum corporis, tum hujus, tum futuræ vitæ perduxerit. Ita nimirum nimia regnandi libido, nunquam non exitium Regnis minatur! reliqua omnia mala, & desolationes Regni, quæ eotum occasione variorum infelicium conflictuum, & intestinarum seditionum in Regno vigentium, intervenerunt, nemo, puto ego, unquam compendiosa narratione satis enarraverit.

Trigesimus octavus Rex Hungariæ, FERDINANDUS I. Archi-Dux Austriæ, nepos Maximiliani I. filius Philippi I. Hispaniarum Regis frater Caroli V. Imperatoris; natus est 10. Martii 1503. in Regem Hungariæ electus Anno 1526. coronatus est anno sequenti die 5. Novemb. una cum conjuge sua *Anna*, Ludovici II. sorore; ex hac nati sunt Ferdinando duo filii, quorum hic meminisse Historiæ non parum interest: 1mo: Maximilianus II. Anno 1527. futurus expost Rex Ungariæ,

&

& Romanorum Imperator. 2do: Carolus, qui dein factus est Styriæ Dux, & Genitor Ferdinandi II. Imperatoris, ex Maria Alberti Bavariæ Ducis Filia. Coronam Imperii obtinuit Ferdinandus Anno 1556. per cessionem Fratris sui Caroli V. qui se amore quietis, & Deo soli impensius serviendi desiderio ad asceterium recepit, in Hispania, ubi & mortuus est post biennium pientissime, in Provincia Extremadura dicta, Anno ætatis 58. Anna Imperatrix obiit Pragæ Anno 1547. Ferdinandus vero Imperator Viennæ Anno 1564. sepultus tamen Pragæ juxta Mausoleum Annæ Uxoris suæ dilectissimæ, ex qua 15. prolium parens effectus est. Regnante Carolo V. ac ejus Fratre Ferdinando I. omnia susque, deque miscebantur non modo in Hungaria, propter duorum ad semel Regum corrivalitatem, ac Turcarum grassationes, sed & in Imperio, vicinisque Provinciis, propter novos quosdam propululantes Hæreticos, signanter Lutherum, Zvinglium, Munsterum, Calvinum, &c. quibus addi potest Nicolaus Machiavellus Florentinus, qui obiit Anno

no 1528. vel 29. Præcurſor Pſeudo-Politicorum; Libertinorum; imo Atheiſtarum reſtaurator; qui libertatem carnis, & ſanguinis ſectantes, & ore, & opere ſatis teſtati ſunt, ſe non niſi in perniciem animarum, everſionem Legum Divinarum juxta, ac humanarum; verbo: in ultimam ruinam Reipublicæ Chriſtianæ natos, & armatos eſſe; hos ut compeſceret, ac in ordinem redigeret Ferdinandus, nihil non egit; nullis pepercit ſumptibus; ſeu ut vim vi repelleret, ſeu ut clementiæ ſuæ radiis illuſtraret, ac a via perditionis, in viam ſalutis reduceret; ſed fere incaſſum, quibus nec ipſum Sacroſanctum Concilium Tridentinum ex omnibus Chriſtianis partibus, ipſorum præciſe intuitu, & favore congregatum, ſuis ſanctiſſimis legibus, & declarationibus quidquam medelæ attuliſſe viſum eſt, quo minus tandem duritiem cordis deponerent, ac ſuas ſenſualitates, ſuas nunquam antea in Eccleſia Dei auditas, ſed ex fallaci ſolum male cauteriatorum animorum imaginatione proruentes interpretationes, aut potius detorſiones Scripturarum, in-

fal-

fallibili ſenſui Eccleſiæ, & SS. Patrum ſententiis poſthaberent. Cæterum lis hæc cum Hæreticis ſub Ferdinando Imperatore finita eſt per Concilium Tridentinum; utinam & error finiretur, ne eſſent in nobis ſchiſmata, & diſſidia, ſed Spiritus unus, & anima una! An. 1553. obiit Franciſcus Révay Propalatinus Regni, ad quem fertur *Lutherus* olim aliquot literas dediſſe, ſuæque reformationis cauſam eidem recommendaſſe; inde factum: quod Familia Thurzó, & Révay Auguſtanam Confeſſionem diu fovebat. Lutherus obiit Anno 1546 Islebii in Saxonia fato pæne repentino Anno ætatis 63. In tam calamitoſa rerum facie fere per totam Europam vigente, Ferdinandus tamen ſicut Rempublicam Hungaricam, ita & totius Imperii molem, ac antiquum Eccleſiæ ſtatum validis humeris ſuſtentabat, ac ne in præceps rueret, ſolicite præcavebat. Sub hoc Imperatore, & Rege Hungariæ floruit *Nicolaus Olahus* Archi-Epiſcopus Strigonienſis, qui Sacri Concilii Tridentini Canones, & decreta, præſertim quæ Sacramentorum fidem, & adminiſtrationem

at-

attinebant, illico in Ungaria per Agendas, & Ritualia Diœceſana promulgari curavit. Solymannus Turcarum Imperator cum 200. millibus ſuorum Viennam Auſtriæ An. 1529. prima vice obſedit, quam tamen ſeu virtute Præſidiariorum repulſus, ſeu audita fama adventantis Caroli V. Imp: cum exercitu, territus, infecta re deſeruit; omnem dein Hungariam longe lateque depopulatus, multa millia Chriſtianorum ſecum in captivitatem abduxit; donec tandem in obſidione Szigethi, cui Comes Nicolaus Zrinius Heros ille magnanimus cum poteſtate præerat, illudque contra innumerabilem multitudinem Turcarum cum paucis ſuorum ſtrenuiſſime uſque ad extremum halitum tuebatur, Anno 1566. ex mœrore animi contabuit, videns omnes ſuas vires a tantillo Præſidiariorum numero contemni, & eludi. Non abſimiliter *Georgius Thuri* Palotam Arcem contra Turcas eodem fere tempore fortiſſime defendit, & feliciſſime conſervavit, teſte Iſtvánfio L. 22. ad Annum 1565. & 1566. Budam tamen Metropolim totius Hungariæ An. 1541.

idem Solymannus suo Dominatui subjecit, non nisi post 145. annos e manibus Turcarum iterum eripiendam, & coronæ Hungariæ restituendam.

Tempore Ferdinandi I. Imp. & Regis Hungariæ vixit *Henricus VIII.* Angliæ Rex, qui primus Regum Schisma Anglicanum in orbem Christianum induxit. De hoc Schismate Anglicano præcipui Scriptores omnium Nationum adeo prolixe scripserunt, ut omnino supervacaneum foret de illo prolixius scribere; ne tamen & nos, nihil feciſſe videamur, ejus ortum, & progressum pauciſſimis verbis delineabimus. Posteaquam *Henricus VIII.* Angliæ Rex adhuc Romano-Catholicus Anno 1509. cum dispensatione Julii II. Romani Pontificis, *Catharinam* Ferdinandi Regis Hispaniæ Filiam, relictam viduam *Arthuri* Fratris sui præmaturo fato mortui, sibi in uxorem delegiſſet, filiamque ex ea *Annam* suscepiſſet; Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tanquam *columnæ veritatis* adeo fortiter adhæsit pluribus annis, ut Anno 1519. occasione tumultuum in Imperio per Lutherum, ac alios Apostatas

a

a fide Catholica excitatorum, motu proprio integrum librum scripserit de Sacramentis contra Lutherum, ob quem suum zelum erga Religionem Catholicam laudatus est a Leone X. Pontifice, & Titulum: *Defensoris Fidei* obtinuit. Interim implicitus amoribus variarum puellarum, quæ in Gynecæo Reginæ famulabantur, cæpit aversari consortem suam Catharinam, quin eam ipso facto a thoro & throno excluſit; ut adeo verum sit illud Eccles. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Maximo autem amore ferebatur in *Annam* quamdam *Bolenam*, quam putant aliqui ejus filiam spuriam fuisse. Hanc sibi Henricus animatus quorundam Aulicorum suorum consilio in uxorem adjunxit Anno 1533. neque eam ad quasvis minas, & adhortationes, seu Summi Pontificis Clementis VII. seu aliorum dimisit, hinc subsecuta est Anathematis executio; unde ille non modo non resipuit, verum excussa omni obedientia erga Sedem Apostolicam, se ipsum constituit Caput in Anglia, non modo in temporalibus, sed & spiritualibus; atque in

hac obstinatione diem suum obiit Anno 1547. cum dicto ad amicos: *Amici omnia perdidimus!* postquam Annam Bolenam jam antea, Anno nempe 1536. ob suspicionem adulterii capite plecti curasset. Eandem sortem expertæ sunt plures aliæ quoque ejus uxores, quas post Annam Bolenam, vivente adhuc Catharina Aragonica, sibi per fas, & nefas copulaverat.

Post Henricum VIII. regnavit in Anglia, ejus ex tertia conjuge filius *Eduardus IV.* hæresi unice, & schismati addictus. Huic sine prole defuncto, successit *Anna* Catholica, Filia Henrici ex prima ejus legitima consorte nata; quæ dum rem Catholicam in Anglia cum consilio Cardinalis *Poli* restituere parat, subito exstinguitur. Eidem proinde tam præmature mortuæ surrogata est Anno 1559. *Elisabetha* Filia Henrici Regis ex Anna Bolena nata; quam quia Pontifex Paulus V. noluisset recognoscere pro Regina, utpote, & hæreticam, & ex illegitimo thoro natam, ideo hæc in furorem acta schisma paternum non modo confirma-

mavit, sed & novam ex integro fidem, & Religionem proposuit Populo tenendam, quæ usque nunc *Religio Anglicana* vocatur; quam tamen non omnes etiam Angli, & Scoti usque modo approbare videntur. Elisabetham ob tantos ausus, & fidei contemptum Pius V. Anno 1570. anathemate percussit, ita & Gregor. XIII. ac Sixtus V. Interim illa non curatis tot diris, & sacris fulminibus, in male cæptis persistebat; persequebatur Ecclesiam acerrime; Catholicos omnes ex suo Regno aut exegit, aut occidit; quin nec sanguini suo pepercit; *Mariam* enim *Stuartiam*, Reginam Scotiæ Anno 1567. ex suo Regno pulsam, ex quo Catholica fuisset, post perpessos pluribus annis teterrimos carceris squalores Anno 1587. capite minui fecit; plura ejusmodi crudelitatis documenta post se relinquens; hoc tamen non obstante, Acatholici eam, ut sanctam venerari, & Calendario suo inserere non dedignantur.

Post Elisabetham regnavit in Anglia JACOBUS I. Catholicus, simul Scotiæ, & Hyberniæ Rex, Filius Mariæ Stuartæ

capite plexæ. Huic varias Technas, & Intidias ſtruxerunt Acatholici, ut eum quocitius perderent; quorum unam *pulverariam* dictam, appinxerunt Patribus Jeſuitis, atque eos ſub hoc quæſito colore perſecuti ſunt, & ex Regno tanquam turbatores publicæ pacis, & quietis exegerunt, tametſi nullius vel fraudis, vel conſpirationis convictos. Jacobo I. ſucceſſit ejus Filius *Carolus I.* acatholicus; hunc Scoti Anglis prodiderunt, a quibus dein capite plexus eſt Anno 1649. 9na Febr. inaudito exemplo. Factionum capita erant quidam Fairfaxius, & Oliverius Cromvellus, qui in Anglia occiſo Rege ſub nomine Protectorum Regni, Tyrannidem exercuerunt aliquot annis: tandem Anno 1659. Scotiæ Regnum iterum obtinuit Carolus II. Caroli I. Filius. *Sic ludit in humanis Divina potentia rebus*, & quam vana ſint hominum conſilia, quamve inſtabiles eorum cogitatus, propriis eorum factis, & variationibus oſtendit! Carolus hic II. tametſi acatholicus, dicitur tamen in fine vitæ ſuæ converſus, & in unione S. Matris Eccleſiæ catholice

de-

defunctus Anno 1685. Illud certum; ejusdem duos Fratres, utpote: *Nicolaum* Anno 1673. & Jacobum II. Anno 1676. ad Catholica sacra accessisse: quo non obstante, en miram Dei providentiam! *Jacobus II.* præter omnium exspectationem electus est in Regem Angliæ, & Scotiæ, & corona utriusque Regni incinctus; quem quia expost Catholicis favere observassent quidam Angliæ Proceres, & Episcopi acatholici, vel in eo, quod his non minus, ac aliis, liberum Religionis Catholicæ exercitium admisisset, cæperunt, conspiratione facta, in id incumbere, si quo modo eum sceptro, & corona privare possent. Unde dum Anno 1688. Conjux ejus *Maria Eleonora* Princeps Estensis prolem masculam enixa fuisset præsentibus Regina Vidua Caroli II., ac aliis quam plurimis ex nobilitate Anglicana viris, & fœminis; reliqui Acatholici Episcopi, & Proceres, qui præsentes partui non aderant; Prolem illam spuriam, aut suppositiam dicere, nihil pensi duxerunt. His turbis excitatis, iidem Factiosi evocarunt ex Batavia, seu Hollandia *Guil-*

lelmum Naſſovienſem, ſeu Principem Arauſicanum acatholicum, Jacobi II. generum, qui Anno 1688. in Angliam appulſus, ſocerum ſuum Jacobum II. una cum Conſorte ſua, & Coronæ Principe Jacobo III. adhuc inter ubera vagiente, expulit ex Regno, delatosque ſibi Regios honores acceptavit. Jacobus II. ita pulſus a ſuis obiit in exilio Anno 1701. 16. Sept. prope Pariſios; Jacobus III. vero ejus Filius Valliæ Princeps, quem acatholici *Prætendentem*, aut *Equitem S. Georgii* vocabant, venit Romam ad Pontificem Anno 1720. ubi ei ex *Maria Clementia* nepte Joannis Szobieſzki Poloniæ Regis nati ſunt duo Filii: Unus *Carolus Eduardus* Anno 1720. 31. Decembr. alter *Henricus Eduardus* Anno 1725. 6. Martii, qui de facto *Prætendentes* Angliæ dicuntur. Poſt Guilelmum Naſſovienſem regnavit in Anglia *Anna* ejus Conſors, Filia Jacobi II., ſed hæretica, Annis 11. Poſt hanc Anno 1714. aſſumptus eſt ad Thronum ab Anglis, *Georgius Elector Hannoveranus* acatholicus, cujus Mater fuit Neptis Jacobi I. Angliæ Regis. Huic ſucceſſit Anno

1727.

1727. Georgius II. Prioris Filius, qui usque nunc summa potestate præest Regno Angliæ, cæterisque Provinciis, & Insulis eo pertinentibus. Hoc tempore, quo hæc scribimus, multa bella gerunt Angli cum Gallis, Terra, Marique. Quis bellorum futurus sit finis? DEUS Cæli, Terræque Dominus, & Arbiter mundi, in cujus manu sunt corda Regum, & omnia Jura Regnorum, sicut optime novit, ita & sapientissime discriminabit!

Trigesimus nonus Rex Hungariæ, MAXIMILIANUS II. Imperator, Filius Ferdinandi I. Imperatoris ex *Anna* Ungara natus. Buda, & Alba-Regali sub potestate Turcarum existentibus, primus suscepit Coronam *Posonii* Anno 1563. die 8. Sept. vivente adhuc Genitore suo. Obiit vero Anno 1576. die 12. Octobr. ætatis 49. omnium desiderio vita longiore dignissimus; utpote, cui nec fortitudo animi, nec amor, & compassio in suos subditos defuit; quo minus in gratiam ipsorum ipsemet in persona aliquoties in arenam descenderet, incussoque hostibus terrore, omnia in Regno tutiora redderet-

profligatis non semel hostibus, & in ultimas oras depulsis. Sub hoc *Joannes Sigismundus*, Princeps Transylvaniæ, Filius Joannis Regis extrema quæque tentavit, ut ad Thronum Hungariæ perveniret; verum omnes ejus conatus in fumum abierunt; obiitque in flore ætatis Anno 1571. Sub Ferdinando I. floruit Franciscus Forgács Episcopus Varadiensis & Cancellarius Aulæ, qui non obtento Episcopatu Jaurinensi (quem Maximilianus II. Imperator cuidam Zachariæ Delphino Cardinali Veneto contulerat) transfugit ad Joannem Sigismundum de Zapolya; Historicus sui temporis non contemnendus.

Quadragesimus Rex Hungariæ, RUDOLPHUS II. Rom. Imperator, Filius Maximiliani II., coronatus est in Regem Hungariæ Posonii vivente Patre Anno 1572. die 24. Sept. Rebus Hungaricis præfuit ab obitu sui Augustissimi Genitoris usque ad Annum Christi 1608. quo Coronam Hungariæ cessit Matthiæ Archi-Duci, Germano suo. Ipse interim Pragæ commorando, plus pacis, & quietis, quam

bel-

belli, & graviorum Regni Curarum amantior ibidem obdormivit in Domino, & sepultus est Anno 1612. a pietate & scientia Mathematica laudatissimus. Scribitur vitam perpetuo cælibem duxisse. Sub hoc Imperatore, & Rege Hungariæ floruit *Stephanus Báthori*, succesſor Joannis Sigismundi in Principatu Transylvanico, obiitque qua Rex Poloniarum Anno 1585. circa hoc item tempus vixit in Italia *Carolus Sigonius* Italus Mutinensis, Coævus Justi Lypsii, summus æmulator Ciceronis in scribendo, sed in loquendo fere ignarus Latinæ Linguæ. *Gebhardus Truchses* Archi-Episcopus Colonienſis, & elector proscriptus est per Rudolphum Imperatorem Anno 1584. propter apostasiam a fide & electoratu privatus. Jaurinum a Sinan Bassa Anno 1594. Proditione Hardekii, & Perlin occupatum, post 4. annos iterum receperunt Christiani nno sine speciali Dei adjutorio, Ducibus: Principe Adolpho Schvarzenburgio, & Comite Nicolao Palffy, in cujus rei memoriam annuæ grates aguntur Deo in mœnibus Jaurinensibus 28. Martii. Sub hoc

item

item Rege tumultuatus est, & inexplicabilia damna Regno intulit *Stephanus Bocskai* Princeps Transylvaniæ Calvinista, Catholicorum persecutor acerrimus; sed ne diutius Ecclesiæ Christi; afflictissimæ item Patriæ suæ Hungariæ, gravis esse pergeret & luctuosus, vindicem Dei manum experiri debuit Cassoviæ Anno 1606. veneno, ut putatur, a suismet occisus, & ad tumulum delatus, propterea, quod pertæsus societatem Turcarum, pacem cum Mathia Archi-Duce inierit medio *Stephani Illésházi*, quem ex Polonia ad se exciverat; consequenter modum, & occasionem optimam (ut duriores alii in perfidia opinabantur,) tum Regni occupandi, tum vel maxime confessionis Helveticæ, depulsis ubique Catholicis, implantandæ, & confirmandæ, e manibus suis, elabi siverit, aut potius abjecerit. Alebat Bocskaius in aula sua *Petrum Alvincium* primi nominis inter Calvinistas Prædicantem, quem honoris causa, tanquam Episcopum, aut Superintendentem circumferebat, cui item promiserat, futurum, ut Archi-Episcopus Strigoniensis fieret,

si

si tandem sibi corona Regni pacate frui licuerit; cum hoc magniloquo, ac tantis spebus inflato Prædicante non una lis, & contentio fuit Petro Pázmáno e S. J. Theologo, qui illum suis doctissimis, & irrefutabilibus polemicis tractatibus non semel elinguem, ac excordem fecit. Ita nimirum vera Christi Ecclesia suis idoneis Athletis, & vere Apostolicis pugilibus nunquam destituitur.

Quadragesimus primus Rex Hungariæ, MATTHIAS II. Imperator, Frater Rudolphi II. Filius vero Maximiliani II. Imperatorum, obtenta corona tum Ungariæ, tum Imperii, vires suas omnes eo intendit, quatenus charam sibi Hungariam e manibus Turcarum eriperet; quam tamen gloriam Deus Leopoldo Magno, ac Filio ejus Carolo VI. reservasse videtur. Quod Matthiæ Imperatori maxime vitio vertitur; & de quo ipsemet dolentissime non semel questus fuisse perhibetur, illud est, quod liberum Religionis exercitium utriusque confessionis, tam Augustanæ, quam Helveticæ assectis admiserit in Regno Hungariæ; verum istud ne-

qua-

quaquam putandum est spontaneæ ejus voluntatis fuisse, sed instantaneæ necessitatis, quo uno medio, & populum ad quietem, ac saniora consilia capessenda perducere, & a malis, sub quibus gemebat tota Christianitas, Regnum suum liberare volebat; electo minori malo præ majoribus. Obiit magnanimus hic, & de Regno Hungariæ optime meritus Rex, & Imperator Romanorum Viennæ die 20. Martii Anno 1619. ibidemque sepultus cum maximo luctu, & mærore suorum fidelium subditorum, nullo post se herede masculo relicto. Sub hoc Imperatore, & Rege Hungariæ (floruit *Franciscus Forgács* Cardinalis, Primas Regni Hungariæ antea Episcopus Nittrienſis; nec non *Petrus Pazmanus*, succeſſor ejusdem in Archi-Episcopatu Strigonienſi; *Nicolaus* item *Eſzterházi*, expost Palatinus Regni, ac alii multi, qui rem Catholicam in Hungaria, pro sua summa prudentia, & authoritate, contra omnes insultus hostium, & grassationes hæreticorum validissime sustentabant. Sub coronatione Mathiæ Regis Anno 1608. apoplexia tactus est Po-

so-

sonii Nicolaus Istvanffius Historicus non minus, quam orator, miles, & Locumt. Regius celeberrimus. *Stephanus Illésházi*, Lutheranus, jam factus Palatinus, Directorem causarum Regalium Ladislaum Somodi sub specie amicitiæ eductum secum ad Patibulum Trenchinienſe, non citatum, non convictum suspendi curavit, propterea, quod is antea dixerit: *curet me Illésházi suspendi, si ipse electus fuerit in Palatinum.* Tantum potuit vindictæ Passio in tanto viro! Anno 1609. in comitiis sub Mathia II. Imperatore, & Rege Hungariæ Posonii celebratis, dum Acatholici sui in Regna Croatiæ, Dalmatiæ, & Sclavoniæ receptionem vehementius adurgerent, eotum C. *Thomas Erdódius*, præfatorum Regnorum Banus, evaginato gladio, suum pro fide Catholica, & antiquis juribus præmemoratorum Regnorum manutenendis Zelum hoc, vel simili emphatico dicto testatum fecit: *teste Rátkaio L. 4. Hoc*, inquit, *ferro, si aliter fieri non poterit, pestem istam a nobis eliminabimus; tresque nobis adsunt fluvii: Dravus, Savus, & Colapis, e quibus unum novis istis hospitibus*

bus ſorbendum dabimus. Idem fere dixiſſe fertur C. *Joannes Draſkovics* ex Bano Croatiæ Neo-electus Palatinus. R. H. Anno 1647. in Comitiis Regni ſub Ferdinando III. itidem Poſonii celebratis; Quin Ablegati Prædictorum Regnorum eotum ſolemni cum proteſtatione palam, & publice declararunt: malle ſe cum omnibus Concivibus ſuis, quorum Ablegati eſſent, ab unione Sacræ Coronæ Regni Hungariæ avellere, quam iniquis ejusmodi Acatholicorum poſtulatis, & prætenſionibus aſſenſum dare. Ex quibus clarum fit: Confeſſiones Acatholicorum, Auguſtanam nempe, & Helveticam in Hungaria Novitias eſſe; nec aliter, quam vi, & potentia mediante, conſequenter viis, & modis illegalibus, adeoque illicitis in Regnum hocce Apoſtolicum irrepſiſſe. Quis ergo talibus confeſſionibus confidat? ſuæque animæ ſalutem, tanquam Evangelio, rejecta vetere Ungarorum Fide, concredat? quo animo fuerint ſemper Ungari in Fidem Romano Catholicam, patet ex Articulis non modo *ante;* ibi enim Lutherani puniri, art. 54. 1524. imo comburi

ju-

jubentur; art. 4. 1525. sed & *post* cladem Mohácsianam in publicis Regni Diætis editis; quibus luculenter testantur; se non aliunde, quam publicæ pacis & communis tranquillitatis causa novitias has Confessiones, pro ratione nimirum turbulentissimorum illorum temporum, quibus pressa innumeris quasi calamitatibus, afflicta Patria vix respirare poterat, ad tempus tolerandas admittere; ut patet ex art. 125. 1715. 23. 1687. 25. & 26. 1681. ac aliis multis in prioribus Regni Diætis, inchoative a tempore Ferdinandi I. Imperatoris, & Regis Hungariæ diætaliter editis, & sancitis. An hæc ad cognoscendam, & persuadendam veritatem non sufficiunt? ut quis in negotio salutis tutiora sequatur; atque sic excusabilis fiat coram Deo, quod antiquis Patrum suorum vestigiis insistat; nec ab iis vel latum unquem recedat? præsertim cum novitiæ illæ confessiones nulla nova Revelatione Dei, aut tradi tione apostolica fulciantur, quibus fides haberi debeat, aut possit. Hæc in gratiam eorum, quorum salutem Deus multifarie, multisque modis ope-

rari, ac ſolicitare conſuevit, dicta volumus; & adjicienda judicavimus. Faxint ſuperi, ut eo, quo dicuntur, aut ſcribuntur animo, etiam acceptentur, & fructuoſa evadant. Tragicum eſt, & tum admiratione, tum commiſeratione dignum, quod refert P. Ladislaus Thúróczy e S. J. *in ſua Hungaria cum Regibus data*, ex actis familiæ Thurzonianæ, ad annum 1611. conſiſtitque in eo: quod *Eliſabetha Báthori* alias Catholica, in gratiam Mariti ſui Comitis Franciſci Nádaſdy, Lutheri dogmata aſſumpſerit tenenda; ac ut in dies pulchrior evaderet, conſequenter Mariti ſui amores, magis, & magis ſibi demereretur, Dæmonis, ut credere fas eſt, præſtigiis infaſcinata, conſtituit ſemet in ſanguine virginum lavare, & balneare; quem in finem non paucas virgines ex ſuo Gynecæo, clam, & occulte in cellariis Cſeithenſibus, velut oves in Macello, præciſo gutture mactari curavit. Verum quia nihil occultum, quod non revelabitur; volente Deo tandem, & hæc Laniena Virginum in apricum devenit; unde ipſa, jubente Matthia Imperatore,

in

in ſequeſtrum locum data eſt, ubi poſt triennium ex mærore animi contabuit; duæ vero Hecubæ tanti ſceleris executrices, cum ephebo *Ficzkone* dicto, omnium ſcelerum conſcio & cooperatore ad rogum damnatæ, & combuſtæ ſunt in loco Bicſap I. Comitatui Nittrienſi adjacente.

Quadrageſimus ſecundus Rex Hungariæ FERDINANDUS II. Nepos Ferdinandi I. Filius Caroli Archi-Ducis Auſtriæ, & Styriæ, ex Maria Alberti Bavariæ Ducis Filia natus; ſucceſſit Matthiæ II. in utraque corona tum Ungariæ, tum Imperii ſtatim ab obitu illius. An pietate magis, quam armorum fortitudine vicerit, ac diſpulerit Myriadem ſuorum hoſtium, dubitari poteſt. Suecum, Gallum, Danum, Bohemos item hæreticos tumultuantes devicit, & compeſcuit Ducibus Tillio, & Vallenſteinio. Fridericum Palatinum Rheni, Bohemiæ coronam uſurpantem, ex Bohemia expulit; imo & ſuis hæreditariis Provinciis privavit, electoratu in Ducem Bavariæ Maximilianum translato. Obiit Rex hic & Im-

perator pientissimus Anno 1637. die 15. Febr. Reliquit ex Ima Uxore sua Maria Anna Guilelmi Ducis Bavariæ Filia Hæredem unum *Ferdinandum Ernestum*, natum An. 1608. 13. Julii, qui ei expost in utraque corona succeſſit. Sub hoc Imperatore turbas excitavit in Hungaria *Gabriel Bethlehem*, Calvini sectator, trucidato per summum nefas Gabriele Bathorio Anno 1613. constitutus a Turcarum Imperatore Princeps Transylvaniæ, totam fere Ungariam Anno 1620. armis inundavit; coronam Regni ex arce Posonienſi in suam potestatem redegit, allecto etiam in suas partes Palatino Regni Sigismundo Forgács, a suis assecliſ Neosoly in Regem proclamatus: quam tamen suo perduelli capiti imponere ausus non est. Hussitis Bohemis contra legitimum suum Regem rebellantibus suppetias misit, qui tamen omnes ad Pragam in albo monte non sine manifesto Dei adjutorio dispersi, & profligati sunt; ut hæc omnia Historici illius temporis fuse enarrant. Obiit Gabriel Bethlehemus Anno 1629. ætatis 49. constituto Executore Testamenti A-

mu-

murathe 4to Turcarum Imperatore. Alia seditio rusticorum exorta est Anno 1631. in superiori Hungaria, Duce quodam *Petro Császár*; quæ tamen mox, ut erupit, sopita est, Petro Császár Cassoviæ in 4 partes secto, ac aliis principalibus Ductoribus pro merito condigne castigatis. Princeps *Wallensteinius* Dux Franconiæ supremus Præfectus armorum Cæsareorum, confossus est Ægræ in Bohemia jussu Imperatoris, eo, quod cum hostibus colludere; & Coronam Bohemiæ affectare visus sit. Circa finem Regiminis Ferdinandi Imperatoris Calviniſtæ per Cyrillum Lucarem, pecunia corruptum Patriarcham Constantinopolitanum suam confessionem in oriente publicari fecerunt; sed infelici successu. Reliqui enim Orientales Episcopi dolum subodorati, Anno 1638. temere publicatam confessionem anathemate confixerunt. Ipse tandem *Cyrillus Lucar* aliorum insuper scelerum reus, per sententiam judicum in mare præcipitatus est. Hunc habuit exitum conatus Calviniſtarum! post Calviniſtas evigilarunt & Lutherani, & suam confessionem

pariter Constantinopolim expediverunt sub Leopoldo Imperatore, ut inferius dicemus. Erat Ferdinandus II. Imperator tanta spe fixus in Deum: ut dum Acatholici Cives, & nonnulli Proceres Viennenses ad eum confluxissent, iniqua quædam ei, & Religioni Catholicæ nimium præjudicioſa postulata proposituri, consensumque ejus super iisdem omni via, & modo (ut illi quidem sperabant) extorsuri, audire eotum in cubili suo, ubi prostratus ad terram orabat, ex Crucifixo meruerit: *Ferdinande! non te deseram!* & vero non deseruit: illo enim eodem tempore ingressæ sunt Legiones aliquot Cæsareæ Urbem Viennensem, quarum adventu adeo territi sunt Acatholici, ut ne hiscere quidem ausi fuerint contra Imperatorem; eorum tamen præcipui capti sunt, & in carcerem dati. Post obtentam victoriam in Monte Albo Anno 1620. contra rebelles Bohemos, & eorum Pseudo-Regem *Fridericum* Palatinum Rheni, Pragamque receptam, Cæsar octo & viginti Proceres ex Bohemis capite plecti jussit, tum propter conjurationis crimen,

tum

tum quia Legatos Cæsareos, seu Commissarios Regios Anno 1618. Pragæ per fenestram ejecerint, & ad mortem persecuti sint; tum quia tot innocentum sanguinis effusionis, tot item inexplicabilium damnorum in Terris Cæsareis causatorum fons, & origo, & promotores exstiterint. Ita Ferdinandus Clementiam cum Justitia temperabat; nemini unquam iratus, nisi qui clementia ejus dignus non erat.

Quadragesimus tertius Rex Hungar. FERDINANDUS III. Imperator, filius Ferdinandi II. coronatus est in Regem Hungariæ Sopronii vivente adhuc Patre suo Anno 1625. 8. Decembr. e vivis vero excessit die 2. Aprilis Anno 1657. ætatis 49. Tres successive habuit conjuges Ferdinandus tanto thoro dignissimas; ex prima conjuge *Maria* Hispana, natus est ei filius FERDINANDUS FRANCISCUS An. 1633. die 8. Sept. qui quemadmodum superstite adhuc patre coronatus est in Regem Hungariæ Posonii Anno 1647. ita & vivere desiit ante patrem Anno 1654. die 9. Julii relicto jure successionis alteri fratri suo *Leopoldo*, qui Ferdinando III. suc-

cessit. Secunda uxor Ferdinandi Imperatoris fuit *Maria Leopoldina*, Leopoldi Archi-Ducis, & Comitis Tyrolis filia. Tertia fuit *Eleonora* Caroli II. Mantuæ Ducis filia; ex qua nata est itidem *Eleonora* primum quidem Michaëli Poloniæ Regi; dein Carolo V. Lotharingiæ Duci, Heroi illi famosissimo (qui non modo Domui Austriacæ, sed & toti Christianitati tum in Oriente, tum in Occidente utilissima præstitit obsequia; fuitque Avus modo Regnantis Augustissimi Imperatoris Francisci I.) nupta; obiitque Anno 1697. die 15. Decembr. Aliæ ejusdem proles omnes præmaturo fato abreptæ. Pientissimo huic Imperatori, & Regi Hungariæ multum doloris, & molestiarum causarunt duo Georgii Rákoczi; parens, & filius, ambo Principes Transylvaniæ, ambo Calvinistæ; qui potentia Ottomanica suffulti, ultimam ruinam & excidium Hungariæ intentabant; quos tamen pietas, & fortitudo Ferdinandi aut devicit, aut ita continuit, ut ne omnem suum furorem exerere potuerint. Georgio II. Rákóczio ex Sophia Báthori natus est filius

lius *Franciſcus I.*, qui tandem, affulgente Divino lumine poſt obitum Patris ſacra Catholica ſuſcepit; qua unica occaſione ſpem præbuit non modicam fore, ut & coronatis ſuis Principibus fidelior, & internæ quietis, ac felicitatis Patriæ amantior futurus ſit, quam fuerint ſui Majores. Cæterum & hic tandem Princeps tametſi optimus, & pacis amantiſſimus, pravorum conſiliis, & importunis precibus eo adductus eſt, ut exemplo ſuorum Prædeceſſorum arma in patriam, & ſuum legitimum Principem Leopoldum Imperatorem ſtringere, & exerere conſtitutum habuerit; a quo tamen peſſimo propoſito, Genitrix ejus *Sophia Báthori* Princeps Domina ſapientiſſima non modo eum retraxit, ſed & gratiam ei apud clementiſſimum Imperatorem, & Regem Hungariæ Leopoldum, ac amnyſtiam pravæ ejusmodi voluntatis impetravit, qui expoſt totam vitam ſuam quiete transegit; ſed hæc ad Leopoldi Imperatoris ætatem pertinent.

Quadrageſimus quartus Rex Ungar. fuit FERDINANDUS IV. filius Ferdinandi III.

qui

qui coronatus quidem est vivente patre, ut dictum est supra, sed quia obiit etiam ante patrem, hinc ei, aut potius Parenti successit.

Quadragesimus quintus Rex Hungar. LEOPOLDUS I. a rerum gestarum magnitudine reipsa *Magnus*, & Ferdinandi III. non degener filius; coronatus est in Regem Hungariæ Anno 1655. die 27. Junii. Obiit autem Anno 1705. die 5. Maji. Tres successive habuit conjuges Augustissimas: Prima fuit *Margaretha Theresia*, Philippi IV. Hispaniarum Regis, & Mariæ Annæ Austriacæ filia. Secunda fuit *Claudia Felicitas*, Ferdinandi Caroli Archi-Ducis, & Comitis Tyrolensis filia. Tertia ejus conjux fuit Eleonora Magdalena Theresia, Philippi Vilhelmi Ducis Neoburgici, ac Electoris Palatini filia; ex hac natus est Josephus, Archi-Dux Austriæ; dein Rex Ungariæ, & Roman. Imperator; Carolus item Franciscus Josephi successor in corona Hungariæ, & Imperii, retento simul titulo Regis Hispaniarum, quas sibi jam fere ex toto subjectas, Philippo Bourbonico, suo in Coro-

na

na Hiſpanica corrivali poſſidendas reliquit. Obiit Leopoldus Imper. Anno & die, quo ſupra dictum eſt; qui, dum viveret, menſuram omnino nominis ſui vere implevit; dicere enim de ſe ipſo cum veritate *anagrammatice* potuit: ego: Leopoldus: *pello duos*, dum Turcam, & Gallum eodem tempore glorioſe devicit; Ungariam recuperavit, imo auxit, & novis præſidiis firmavit; *Budam* Metropolim Ungariæ Anno 1686. per aſſultum recepit; *Agriam* vero Anno 1687. fame edomuit; poſtquam illa 145. hæc vero 91. annis in poteſtate Turcarum fuiſſet; inde Imperium ſuum ad uſque Sclavoniam, & Serviam extendit; ſupremis armorum Præfectis, & Ductoribus Carolo V. Lotharingiæ, & Maximiliano Emanuele Bavariæ Ducibus, nec non Ludovico Badenſi Duce. Sub hoc Imperatore, & Rege Hungariæ Imago Pocſenſis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ in Comitatu Szabolcſenſi Anno 1696. die 4. Novemb. prima vice lachrymas fudiſſe obſervata eſt; inde translata primum Caſſoviam per Epiſcopum Agrienſem Georgium Feneſy;

dein

dein Viennam; ubi ad aram majorem in Basilica S. Stephani Protho-Martyris collocata usque nunc miraculis claret: altera ejusmodi imago, quæ itidem in Pócs apud Ruthenos in veneratione est, similiter flevisse dicitur Anno 1715. 1. Aug. & sequentibus diebus; prout id ipsum ex actis eorum, qui in hujusce miraculi certitudinem inquisierunt, uberius constabit. Post sopitam conspirationem in Regem, & Regnum per Franciscum I. Rákoczium cum nonnullis aliis complicibus Anno 1666. attentatam; Emericus Tôkôly Lutheranus, inita societate cum Turcis An. 1677. tumultuari cæpit in Regno; pluresque urbes, & oppida in suam potestatem redegit; ab hujus satellitibus captus est Anno 1682. in sua Arce Fûlekiensi Comes Stephanus Kohâry Generalis, expost Judex Curiæ Regiæ sub Carolo VI. Imperatore, & in carcere pluribus annis detentus; qui tamen nulla vi a fidelitate sui legitimi Principis dimoveri potuit. Vienna, Archi-Ducalis urbs, clavis Imperii, & Sedes Imperatoria Archi-Ducum Austriæ obsessa est Anno 1683. per Cara

sta-

Muſtapham Vezirium cum 200. & ultra armatorum millibus; interim tamen ope præprimis Divina; tum incredibili virtute Comitis Starembergii, qui præſidio Viennenſi præerat, tum Joannis Szobieſzky Poloniæ Regis, ac aliorum ex Imperio Principum, & Ducum numeroſo cum exercitu advenientium fortitudine effectum eſt; ut non modo pulſus ſit hoſtis a mœniis Viennenſibus, ſed fere ad internecionem deletus; quam inſignem, & a memoria hominum fere inauditam victoriam ſubſecuta eſt illarum urbium, & Præſidiorum in Hungaria receptio, de quibus paulo ante locuti ſumus, Belgradum tamen, ſeu Alba Græca Anno 1690. iterum in poteſtatem Turcarum devenit, non niſi virtute Principis Eugenii a Sabaudia Anno 1717. ſub Carolo VI. Imperatore revindicanda. Franciſcus Tokaj, & Martinus Kábaj ambo Calviniſtæ, ob excitatum tumultum in partibus Tokainis capti ſunt Anno 1697. & Viennam delati, ubi in carceribus, ejurato prius Calvini dogmate, pie in Domino obiiſſe feruntur. *Franciſcus Rakóczy* Princeps Tranſylvaniæ,

Fran-

Franciſci I. Filius, ob initam occulte conjurationem Cæſareo-Regiæ Aulæ fide digne relatam, & patefactam per quemdam Gallum, aut Lotharingum *Longevall* nomine, quem Rakóczius, non obtento ab Imperatore S. R. I. Principis titulo, ex vindicta in Gallias expediverat cum literis, ſuppetias a Rege Galliarum petiturum, Anno 1701. captus, & carceri mancipatus eſt Neoſtadii; unde ſequenti anno, corruptis cuſtodibus elapſus; Anno 1703. non magno ad initium ſtipatus ſatellitio, ex Polonia venit in Hungariam, ubi per acceſſum *Bercsény*, ac aliorum complurium Perduellium tantum excitavit in Regno incendium, ut non niſi quamplurimorum civium ſanguine exſtingui potuerit. Emericus Tökôly, poſteaquam utramque fortunæ aleam expertus fuiſſet, facti pœnitens, Belgrado, ubi a Turca captivus detinebatur, in Patriam rediens, ejurato Lutheri dogmate, ſuſceptaque fide Romano-Catholica vivere deſiit Anno 1704. Princeps *Eugenius de Sabaudia* Hercules ille inſuperabilis, & Atlas Imperii fortiſſimus, Anno 1702.

Vil-

Villarojam Gallorum Archi-Strategum in meditullio urbis Cremonæ in Italia noctu captum, in captivitatem abduxit spectante toto exercitu Gallico. Idem ille *Tallardum* alterum Gallorum Belli-Ducem, cum 12. millibus suorum, ad *Hochstatum* Germaniæ oppidum Anno 1704. mense Augusto armis exuit, & se victoris potestati subdere coegit. Eodem an. 1704. Rasciani Quinque-Ecclesiis excitato tumultu, in Catholicos longe crudelius, quam quicunque Barbari, sæviisse feruntur, qui tamen paulo post pro suo demerito condigne castigati sunt. Fridericus I. Elector Brandeburgicus Anno 1701. primus suscepit coronam Regni *Borussiæ* auspiciis Leopoldi Imperatoris. De Lutheranis in Imperio degentibus (ut fidem datam exolvamus) qui se per abusum *Evangelicos* vocant; illud hic memorandum: quod hi Anno 1674. per Oratorem Cæsareum, *Stephanum Gerlach*, ad Portam Ottomanicam missum, a Martino Crusio Tubingæ, Græcæ linguæ Professore subornatum, præsentari fecerint *Jeremiæ*, eotum Patriarchæ Constantinop.

ſuam *Confeſſionem Auguſtanam*, olim a Philippo Melanchtone Græce redditam; quam tamen non tantum ille tribus libris; ſed & alii Orientales Epiſcopi coactis Synodis rejecerunt, & exploſerunt, tanquam fœtum ejusmodi, qui nec Evangelio; nec Patrum doctrinæ; nec Traditionibus Eccleſiæ Græcæ foret conformis.

Ex adverſo magna acceſſio facta eſt Rei Catholicæ ſub corona Regni Hungariæ ſub finem Sæculi XVII. Valachi enim, & Rutheni, qui in Hungaria, Croatia, & Tranſylvania incolatum tenent, opera præſertim, & ſingulari zelo, ac induſtria Eminentiſſimi Cardinalis Leopoldi a Kollonics, Primatis Regni Hungariæ, unionem fidei, cum S. Romano-Catholica Eccleſia inierunt; in quorum dein favorem Anno 1699. piæ reminiſcentiæ Imperator, ac Rex Apoſtolicus Hungariæ, *Leopoldus* Diploma edidit, in quo Græci Ritus unitorum Eccleſiæ, & Sacerdotes, iisdem Privilegiis, & immunitatibus uti frui poſſe, ac debere decernuntur, quibus utuntur, & fruuntur in Hungaria omnes Latini Ritus Eccleſiæ, & Sacerdotes. Eandem

dem unionem cum S. Matre Ecclesia, Gentem Ruthenorum in Polonia, & Russia seu Roxolania jam in Anno 1594. suscepisse & professam fuisse sub Clemente VIII. summo Pontifice, legitur in Appendice Annalium Cardinalis Baronii; ubi nomina singulorum Episcoporum, qui huic Unioni subscripserunt, atque se cum tota gente sua, mediantibus Ablegatis suis, Sedi Apostolicæ subjecerunt, consignata exhibentur. Utinam! horum exemplum, omnes ubique Gentes, & Nationes, ab Unione Sanctæ Matris Ecclesiæ quomodocunque avulsæ, ac usque nunc extorres, amplecti, & sequi velint! tum enim vero satisfieret gravissimis verbis, & præceptis S. Pauli Apostoli, omnes ubique Terrarum Christianos in hæc verba adhortantis I. Cor. 1. v. 10. *Obsecro autem vos Fratres per nomen D. N. J. C. ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia;* quibus rite pensatis, & perspectis, dignum omnino est: ut *dicat omnis Populus, amen!* 1. Par. 16. v. 36. aut, quod idem est: *fiat! fiat!* Psal. 71.

Multa alia, memoratu digniſſima, quæ ſub feliciſſimo, & glorioſiſſimo Regimine Leopoldi Imp. & Regis Hungariæ contigerunt, aliis fuſioribus Hiſtoricis, & Annaliſtis perſtringenda relinquimus, ne præſens Chronologia brevitatis limites excedat; hoc ſolum addito: feciſſe Leopoldum Imperatorem *Votum* in Baſilica S. Stephani Protomartyris Viennæ Anno 1693. in honorem Dei, & Magnæ Matris Hungarorum Dominæ; velle ſe omnes deſolatas parochiales Eccleſias in Regno Hungariæ reſtaurare, earumque Parochos competente ſuſtentatione dotare; ut ejus Imperio ſubjecti populi Deum verum debito cultu adorent; & ejus Sanctiſſimam Matrem, venerari addiſcant. Ex quo pio, ac ſaluberrimo, & vere Chriſtiano voto quid aliud inferre licet? quam quod ſumme cordi fuerit Leopoldo Imperatori, ne ex ſibi ſubjectis populis quisque eam tantum, quam volet, ſectam, aut Religionem, tametſi falſiſſimam, & abſurdiſſimam ſequatur; verum ut omnes, & ſinguli in ea, quam S. Stephanus Protho-Rex, & Apoſtolus

Hun-

Hungariæ cum tota gente ſua ſuſcepit, coluit, ſuisque poſteris tenendam reliquit, Apoſtolica Romano-Catholica Fide, & Eccleſia Deo famulentur, & qui ab ea quacunque demum ratione receſſiſſent, ad ad eam iterum revertantur, in ea educentur, & ad obtinendam vitam æternam per fructus bonorum operum habilitentur. S. Steph. l. 1. c. 1. p. 1. titt. 14. art. 5. 6. 10. 12. &c. An. 1548. & art. 12. An. 1550. &c. Mira res! quod inveniantur aliqui mortalium etiam ex alias ſatis doctis, & per literarum ſtudia non leviter illuminatis, qui prætenſa *libertate conſcientiæ*, aſſerere non verentur, non poſſe homines (nec quidem ſubditos,) ulla vi, ullis legibus ſtringi, & obligari ad amplectendam *fidem Romano-Catholicam*, ſine qua tamen ſalus æterna obtineri non poteſt, quis unquam Apoſtolorum hoc docuit? quod Evangelium? quæ communitas Chriſtiana hæc unquam Paradoxa; hæc adeo tum Deo, tum Eccleſiæ, tum ſaluti animarum diſpendioſa principia admiſit? quibus omnis vis, & obligatio ad obediendum legitimis poteſtatibus

bus exsufflatur; via e contra patentissima ad æternam perditionem singulis hominibus aperitur; numquid libertas faciendi hoc, vel illud ideo data est hominibus a Deo, ut quisque pro lubitu suo eligat sive bonum, sive malum; nec sit culpandus in eo, ac puniendus, si quis malum eligat potius, quam bonum? nonne peccat ille, & pænam meretur, qui malum eligit præ bono, & se per hoc periculo æternæ damnationis exponit? si peccat talis, & pænam meretur? ut ex natura legum tum Divinarum, tum humanarum, certum est; quomodo potest ergo, quis sibi impunem expetere illam libertatem, qua neglecto bono, quod præcipitur; malum eligit, & facit, quod prohibetur? nonne datus est a Deo gladius, & potestas supremis Magistratibus puniendi illam libertatem, aut potius illum hominem, qui abutens sua libertate eligendi bonum, vel malum, malum eligit potiùs, quam bonum? ad quod tamen eligendum ipsum & lex, & Rex, & Deus, & Ecclesia, & lumen rationis, & omnia jura Divina, & humana adstringunt; si hoc

non

non currit in electione Fidei, & veræ Religionis, tunc non peccaret ille, nec esset pœnæ obnoxius, qui neglecta fide Romano Catholica, quam tenebat, in Meditullio Christianitatis, in tali Regno, in quo sola Religio Catholica præscribitur tenenda *per leges fundamentales*, sectam aliquam; seu Mahometanam, seu Arianam, seu Anabaptisticam, seu quamcunque aliam legibus Regni difformem, & prohibitam amplecteretur, & eam palam publice exercere præsumeret? quis hoc alter, nisi qui homines, ut Bruta animantia vivere velit, dicere ausit? potestne tali homini opitulari *libertas conscientiæ*, quominus rigorem juris, & Ecclesiæ experiatur, ac pro suo demerito condigne puniatur; aut si resipiscere nolit, velut ovis scabiosa ex consortio verorum Christi Fidelium expeliatur? nonne gregis est obedire Pastoribus suis? horumque ducatum sequi, ne a via veritatis aberret? si hoc ita est, dictante ipsomet sacro sancto Evangelio; ergo non peccat Ecclesia Christi; non peccant illi Duces, Principes, Reges, & quicunque Superiores Romano

Catholici, nec contra Deum, nec contra conſcientias ſuorum ſubditorum, qui hos ad bonum, ad obſervantiam legum tum Divinarum, tum humanarum omni, quo poſſunt meliori modo, & efficacia impellunt. Neque hic timendum eſt ullum peccatum, ulla injuſtitia; quare? quia juxta S. Auguſtinum *aliquando qui perſecutionem patitur injuſtus eſt; & qui eam facit, juſtus eſt.* Epiſt. 93. cap. 2. Illud certum, nec S. Stephanum Protho-Regem Hungariæ; nec Andream I. nec Belam I. nec Ludovicum I. nec Sigismundum Imperatorem, nec Mathiam Corvinum, nec alios quoscunque Apoſtolicos Reges quidquam peccaſſe, ſeu contra Deum, ſeu contra conſcientiam ſuorum ſubditorum, dum eos vi, & armis, & carceribus, & confiſcatione bonorum, & pœna capitis, aut exilii in Eccleſiam Chriſti intrare *compulerunt*, exemplo illius Patrisfamilias, cujus fit mentio in Evangelio Lucæ 14. qui cum non veniſſent, invitati ad cœnam, alios juſſit *compelli intrare;* quæ *compulſio*, in ſacro Evangelio tam claris terminis, præfigurata, quod fuerit perfectiſſimus

Ty-

Typus modi agendi, quem tenere poſſunt, imo debent Principes Catholici erga ſuos ſubditos multis in circumſtantiis, gloriam, & honorem Dei, dilatationem Fidei, & Religionis Catholicæ incrementum concernentibus; omnibus recte ſentientibus perſpicuum eſſe putamus; Deus enim humanum genus in hoc mundo per Eccleſiam, per Magiſtratus, & Principes Terræ, per Patriam poteſtatem gubernat; ex his utriſque datus eſt gladius tum Eccleſiæ, tum Principibus Chriſtianis; illi ſpiritualis, his vero corporeus, & materialis; iſte corpus afficit, ille animam; an ictum horum duorum gladiorum evadere poſſumus, ſi Deo, & Eccleſiæ, ac reliquis a Deo ordinatis poteſtatibus obedire recuſaverimus? nequaquam; ſicut enim Filii Parentibus, ita ſubditi ſuis legitimis Principibus in juſtis, & licitis obedire tenentur; & ſi non obediant, ad obſervantiam Legum Divinarum, & humanarum validis quibusvis mediis eosdem ſtringi poſſe, jam evicimus; membra enim ſuo capiti conformari eſt & conveniens, & neceſſe, in re præſertim tam ardua, &

necessaria, qualis est vera Religio, & Salus æterna per talem Religionem unice obtinenda. Sanctum itaque, & salutare fuisse votum Leopoldi Imperatoris, vel ex his, quæ jam adduximus, quis non videt? certe Mathias Corvinus, in Hussitas bellum moturus dixisse auditus est, teste Bonf. D. 4. L. 2. cum animæ major sit jactura, quam corporis; *nisi salutem nostram veluti amentes desperatione contemnamus, necessario labem Hæreticam propulsare cogimur.* Nec abs re: singulis etenim veris Christianis Principibus, & Ecclesiæ Ministris dicitur a Spiritu sancto in hodiernam usque diem in Persona Jeremiæ Prophetæ: *ecce constitui te hodie super gentes, & super Regna, ut evellas, & destruas, & dissipes; & ædifices, & plantes.* Jer. 1. v. 10. cujusmodi ordinationi Divinæ aliter fieri satis vix potest, quam si ubique Idola, & Hæreses evellantur, destruantur, & dissipentur; Ecclesia e contra Christi, & Fides unice salvifica, quantum humanæ vires admittunt, ubique ædificetur, & plantetur; maxime, cum quidam *formales Hæretici* (quorum in orbe Christiano non

exi-

exiguus est numerus) tanquam a Scriptura sacra prænunciati *Pseudo-Prophetæ*, & *Anti-Christi*, qui rudes, aut nimium credulas animas seducunt, & a via veritatis, ac probitatis avertunt, cum veritate de se ipsis dicere possint: *posuimus mendacium spem nostram*, & *mendacio protecti sumus*. Isai 28. v. 15. tot enim, ac tanta, tam absurda mendacia credunt, & spargunt ejusmodi Pseudo-Evangelici contra Catholicos, ut mirum haud sit, quod tot animæ per eos seducantur, & in damnabili errore contineantur; Ecclesia vero Catholica cum omnibus suis Fidelibus Christianis spernatur ab eorundem sectatoribus, ac despectui habeatur, prout hæc omnia uberius patebunt ex opusculo nostro de Hyerarchia Ecclesiastica; & plenius ex Appendice ejusdem Anno proxime præterlapso 1756, & 57mo. Agriæ impressis, ad quæ opuscula nostra Benevolum Lectorem relegamus.

Quadragesimus sextus Rex Hungariæ, JOSEPHUS I. Rom. Imperator, coronatus est in Regem Hungariæ Anno 1687. 9. Decembris Posonii vivente ad-

adhuc Augustissimo suo Genitore Leopoldo I. cui etiam ab obitu illius mox successit; dictus, *Delicium Generis humani*, ob suam singularem clementiam, & propensionem, qua ferebatur in sibi subjectos. Obiit Viennæ ex Variolis Anno 1711. die 17. Aprilis, antequam finem tumultuum Francisco-Rákócianorum conspicatus fuisset. Ejus vero Augustissima Consors, Villhelmina *Amalia* Joannis Friderici Hannoverani filia obiit Anno 1742. 10. Apr. postquam 30. integris annis sanctæ viduitatis exemplar exstitisset. Ab obitu Josephi Imperatoris Mater ejus Vidua Imperatrix, Eleonora Magdalena Regnorum habenas moderabatur usque ad adventum alterius Filii sui Caroli VI. sub cujus tandem felicissimo Regimine, obiit Viennæ Anno 1720. die 19. Januarii, cum ingenti fama sanctitatis, & omnium virtutum Christianarum inextinguibili exemplo; ut ex oratione funebri, quam eidem R. P. Ignatius Paichart e S. J. concionator olim ad S. Stephanum Viennæ, mira cum eloquentia; & rerum ordine adornavit, uberius patebit; utpote, quæ tametsi

metsi non solum altissimæ dignitatis gradu, sed, & vitæ innocentia, ac virtutum splendore, omnes forte sui ævi mortales superaverit, adeo tamen demisse de se ipsa vivens sentiebat, ut nec post mortem, suo mortuali Sarcophago alias Laudes inscribi voluerit, quam has paucas Christianæ humilitatis apprime contestativas voculas: *Eleonora Magdalena Peccatrix!*

Quadragesimus septimus Rex Hungariæ CAROLUS VI. Rom. Imperator; & Rex Hungariæ ejusdem nominis III.; germanus Frater Josephi; Filius Leopoldi Magni Imperatoris; redux ex Hispaniis coronam Imperii, & Hungariæ statim capessivit ab obitu Fratris sui dilectissimi; coronatus Posonii Anno 1712. 12. Maji. Habuit in Throni, & Thori sociam *Elisabetham Christinam*, Ludovici Rudolphi Ducis Brunsvico-Volffenbüttliani Filiam, ex Lutheranismo ad Fidem Romano Catholicam conversam; ex qua nullam masculam prolem superstitem reliquit; verum duas solum Filias: *Mariam Theresiam*, & *Mariam Annam*; quarum Prior vi *sanctionis Pragmaticæ* in omnibus Regnis, &

Pro-

Provinciis hæreditariis Auguſtiſſimo Genitori ſuo ſucceſſit, ut inferius dicetur.

De Regno Hungariæ illud certum, & publice notum eſt: quod tametſi illud ab exordio ſuæ felicis conſtitutionis, uſque ad tempora Leopoldi I. Imp. & Regis Hungariæ fuerit ſemper liberum, & electivum ita, ut nemini alteri, niſi *legitime electo*, & coronato Principi ſubeſſe, ac homagium præſtare debuerit, aut voluerit, Par. I. titt. 3. Decreti Tripartiti; (quanquam & tunc, antiquis nimirum illis diebus, glorioſi ſanguinis, & propaginis primorum Sanctiſſimorum Regum ſpecialis ſemper cura, attentio, ac obſervantia habita ſit, ut ex Genealogia Regum liquido conſtat,) occaſione nihilominus ter fauſtæ Coronationis Sereniſſimi Archi-Ducis *Joſephi*, Primogeniti Filii Leopoldi Imp. & Regis Hung. Anno 1687. in Comitiis Poſonienſibus, primum quidem quoad ſolos *Maſculos* Hæredes; Anno demum 1723. ſub *Carolo VI.* Imp. & Rege Hung. de quo nunc ſermonem facimus, in concurſu itidem generali Regnicolarum, Poſonii celebrato, etiam quoad ſucceſ-

ſo-

sores *Fœminei sexus*, modo, & ordine ibidem art. 2. expressatis, Augustissimæ *Domui Habspurgo-Austriacæ* semet plene, & in perpetuum subjecerit, ac devoverit.

Cæterum multa alia sunt, eaque singularia, quæ durante glorioſissimo Imperio Caroli VI. Rom. Imperatoris, & Regis Hungariæ in orbe Europæo contigerunt; ex quibus tantum pauca, eaque notiora, aut magis solatioſa delibabimus. Nondum fines Regni Hungariæ attigerat Carolus VI. ex Hiſpanico bello, quod post fata Caroli II. Hiſpaniarum Regis adverſus Philippum V. Principem Andegavenſem Ludovici XIV. Regis Galliarum nepotem, pluribus annis feliciter geſſit pro corona Hiſpaniæ; jam Rebelles in Hungaria deſertis ſignis Franciſci Rákoczii, ad obedientiam legitimi ſui Regis, & amplectendam Regiam gratiam, ipſis clementiſſime oblatam, redire cæperunt; ac etiam plerique eorum effective redierunt, cooperantibus præcipue ad ſedandos motus; & pacem, ac tranquillitatem Regni reſtituendam Comite *Joanne Pálffy* ab Erdôd Generali Campi Mareſchal-

ſchallo, Bano Croatiæ; expoſt Judice Curiæ ſub Carolo VI. & Palatino Regni ſub Maria Thereſia Regina Hungariæ ab una, parte vero ab altera Comite *Alexandro Károly* a partibus Rákóczianis, quibus ad tempus adhæſerat, ad fidelitatem Regis reverſo. Primum ſuum Decretum edidit *Carolus* Rex, & Imperator Poſonii in Diæta Anni 1715. in qua coronata eſt in Reginam Hungariæ *Eliſabetha* ejusdem Auguſtiſſima conſors; Comes vero *Nicolaus Pálffy* ab Erdőd ad dignitatem Palatinalem evectus. Initium bello Turcico datum eſt Anno 1716. ad requiſitionem Summi Pontificis, & Venetorum, quorum Urbes, & Inſulas Turca occupandas ſuſcepit; monitus Turca per Carolum Imperatorem, ut a cæptis deſiſteret; facem belli in Hungariam intulit; tam feroci, & jurato Chriſtianitatis hoſti obviam miſſus *Eugenius Princeps* a Sabaudia cum ſuprema poteſtate exercitus Cæſarei, protritis non ſemel hoſtibus hoſce felices progreſſus fecit. Anno 1716. ad Petro-Varadinum 5. Aug. feliciter congreſſus cum Turca, *Temesvarinum*, quod

Præ-

Præsidium ille ab Anno 1552. adeoque 164. annis possederat, 12. Octobr. e manibus illius extorsit, & Hungarici Juris fecit. Anno 1717. 15. Aug. protritis iterum, & fere ad internecionem deletis Turcarum copiis, Belgradum cum parte Serviæ Ungariæ adjecit ; post tam nobiles victorias Pax tandem concluſa est, cum Turca ad 25. annos Passarovicii, Anno sequenti. Floruit expost Pacis oliva fere per totam Europam usque ad Annum 1734. Anno 1732. cæpit inclarescere Miraculosa Icon B. M. V. Saschinii, seu Sasvarini trans Albos montes non procul Szakolcza; quam unus venator, & alter hortulanus, oculos levasse, imo articulata voce prolocutam fuisse jurejurando asseverabant. Anno 1734. exortum est bellum in Polonia propter succession em in Corona Poloniæ; Cæsare, & Moschovitis pro Friderico III. Saxoniæ Duce, & Electore; Galliæ autem Rege, pro suo socero Stanislao Lecsinszky ab An. 1709. Coronam Poloniæ prætendente, aut repetente pugnantibus. Tandem excluſus est Lecsinszkius; Dux autem Saxoniæ, &

Ele-

Elector, in throno ſtabilitus. An. 1735. in Ungaria Raſcianus Péro, & Sebeſtyén Calviniſta cum pluribus aliis complicibus ob conjurationis crimen, & excitatum in Regno tumultum Budæ digno ſupplicio affecti ſunt. Eodem Anno 1735. Regnum Neapolis, & Siciliæ, quod ab Anno 1700., aut plenius ab Anno 1718. Juris Auſtriaci fuerat, per Hiſpanos occupatum eſt, eique impoſitus Rex Carolus Hiſpano-Borbonicus, vulgo *Don Carlos* dictus, filius Philippi V., frater vero modo regnantis Ferdinandi VI. Hiſpaniarum Regis. Anno 1736. Lotharingia ceſſit Gallo, ubi interea *Stanislaus* Poloniæ Rex reſedit; Magnus porro Hetruriæ Ducatus datus eſt Franciſco Lotharingiæ Duci, moderno Rom. Imperatori. Anno 1737. 38. 39. bellandum fuit Carolo VI. cum Porta Ottomannica, propter fœdus cum *Anna* Czariſſa habitum, quæ Bello Turcico implicabatur; iisdem annis ingens multitudo locuſtarum Hungariam, & vicinas Provincias invaſit, & pervagata eſt, cauſatis non levibus damnis in ſegetibus. Joſephus Rákóczius excomuni-

nicatus est a Clemente XII. Papa Anno 1738. ob initum fœdus cum Turca in perniciem Regni Hungariæ, & Religionis Christianæ. Interim pestilentia non minus in Regno Hungariæ, quam in exercitu Cæsareo variis morbis grassantibus, Pax cum Turca concludi debuit ad 27. annos, ea conditione, ut Belgradum radatur, & Portæ Ottomannicæ tradatur, prout & traditum est Anno 1740. Hoc tandem Anno Carolus VI. Roman. Imperator, & Rex Hungariæ, vita longiore dignissimus Monarcha, ex hac mortalitate ad immortalis vitæ coronam translatus est 20. Octob. in quo stirps mascula Domus Habspurgicæ defecit; eodem Anno & Mense obiit *Anna Ivanovna* Russorum Imperatrix, a bellis cum Turca gestis celebratissima. *Eheu quid homines sumus! evanescimus veluti fumus!* sola parte nostra meliore, utpote anima, si digna cælestibus egerit, statim ab obitu nostro ad futuram vitam transferenda; ut Fides docet; spes firmat; charitas consummat in Christo JEsu Domino nostro.

Nescit mors Leges, tollit cum paupere Reges.

Quadrageſimus octavus Rex Hung. MARIA THERESIA, Filia natu major Caroli VI. Imperatoris, & Regis Hungariæ, nupta Dux Lotharingiæ, & Barri, Magna Dux Hetruriæ; non multo poſt obitum Auguſtiſſimi Genitoris ſui, in omnibus Regnis & Provinciis Hæreditariis poſſeſſionem accepit, vi *Sanctionis Pragmaticæ*, quam Carolus VI. diu ante obitum ſuum per plerasque Exteras Potentias ſubſcribi, & ratificari curavit; Bavarus tamen, & Saxo feruntur non ſubſcripſiſſe; Illo vi cujusdam prætenſæ teſtamentariæ diſpoſitionis Ferdinandi I. hoc vi ſenioratus Uxoris ſuæ, utpote Joſephi Imperatoris Filiæ, hæreditatem omnium Regnorum ad Domum Auſtriacam ſpectantium adire, & occupare volente. Iſti proinde Gallicis copiis adjuti Auſtriam, & Bohemiam invaſerunt Anno 1741. Pragam, & Lincium obſidione cæperunt. His acceſſit tertius inimicus *Carolus Fridericus* Rex Boruſſiæ; qui Sileſiam totam celeriter occupavit; Moraviam exactionibus afflixit; Pragam ſecundo cæpit; donec tandem ope præſertim Hungarorum,

ac reliquarum Gentium ad Coronam Hungariæ ſpectantium non modo glorioſe repulſi ſunt hoſtes; ſed & propriis ex ſedibus expulſi; ac tandem etiam pars Sileſiæ reſtituta eſt Domui Auſtriacæ in pace Dreſdenſi. Interea Maria Thereſia coronata eſt in Regem Hungariæ Anno 1741. 25. Junii; in Reginam Bohemiæ Anno 1743. 12. May. Ejus vero Auguſtiſſimus Conjux Franciſcus Stephanus Dux Lotharingiæ, & Magnus Dux Hetruriæ, electus, & coronatus eſt in Imperatorem Roman. Anno 1745. die 4ta Octobris; eodem Anno 25. Decembris pax concluſa eſt cum Boruſſo, eique pars inferior Sileſiæ permiſſa. Ab eo tempore floruit pacis oliva in tota fere Europa, uſque ad annum 1757.

Ab Anno 1752. uſque 1755. cæpta ſunt Viennæ, & per Auſtriam, ac Hungariam Studia in Scholis reformari, ac in meliorem ordinem redigi; alicubi etiam de novo inſtituta ſunt; prout factum eſt Agriæ in Hungaria, ubi modernus Epiſcopus Loci Excellentiſſimus, Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus *D. Comes Franciſcus*

tiſcus Barkóczy de Szala, ſuæ Majeſtatis Sacratiſſimæ actualis intimus Conſiliarius, &c. in hanc ſuam Epiſcopalem Civitatem Studia Theologica, & Philoſophica introduxit die 5ta Nov. S. Emerico ſacra Anno 1754. iisdemque tractandis Viros Eccleſiaſticos ſuæ Diæceſis præfecit, erecta in Capitulo Præbenda Theologali, quam ſemper unus ex Profeſſoribus in futurum obtineret. His præterea annis diſpenſata ſunt aliquot Feſta per Annum a Benedicto XIV. ſummo Pontifice, quibus miſeri Ruricolæ, ac alii opifices, *Abſolutis Divinis*, tute laborare poſſint, ſi velint. Anno 1755. die 1. Octobris Lysbona, Metropolis, & Regia Sedes Regni Luſitaniæ, tota fere collapſa eſt Terræ motu, qui ſe dein in plures alias Mundi Partes, & Provincias extendens, non leves terrores cauſavit etiam in Hungaria. Tandem Rex Boruſſiæ *Carolus Fridericus* Anno 1757. præter omnium exſpectationem, ex improviſo occupavit Saxoniam, expulſo exinde ejus legitimo Domino *Auguſto* Poloniæ Rege, & Electore; inde irrupit in Bohemiam: Pragam teterrima

ob-

obsidione cinxit, & multum labefactavit; habitis hinc inde pluribus conflictibus, tandem victus est ab Exercitu Reginæ Hungariæ ad Pragam, & ex Bohemia exire compulsus Anno eodem 1757mo. die 18. Octobris, supremo Belli Duce & Archi-Stratego Serenissimo Lotharingiæ Principe, Carolo Alexandro; summis item Generalibus: Comite Daun, & Comite Francisco Nadasdio, aliisque quam plurimis Cæsareo-Regii Exercitus Moderatoribus. Anno eodem 1757. die 5ta Januarii, illud contigit memorabile, quod Versaliæ in Gallia prope Parisios quidam Sicarius, Robertus *Damián*, natione gallus, modo regnantem Serenissimum Regem Galliarum, *Ludovicum XV.* tricuspidato, eoque acutissimo cultro in Latere graviter læserit; ex quo tamen vulnere sanatus est; Sicarius autem captus, & acerbissima morte sublatus.

Verum quia nondum Bellorum finis! nondum fusum satis Christiani sanguinis! ideo orandus Deus; DEUS, inquam, Pacis, & Exercituum; Rex Regum; Dominus Dominantium; Zelator Justitiæ, &

ſui honoris; Protector in ſe ſperantium; Vindex malorum: & Præmiator bonorum; quatenus exaudiat preces noſtras, & miſereatur noſtri; imponat finem tot Bellis, tantæque profuſioni Sanguinis Chriſtianorum; ac tandem!

OMNES REGES, ET PRINCIPES TERRÆ REDINTEGRATA PACE SOLETVR! *

NE TOT FLAGELLIS PROLAPSA HVMANA FRAGILITAS DESPERET! *

APPENDIX
AD
COMPENDIOSAM
CHRONOLOGIAM HUNGARIÆ.
SIVE
QUINDUPLICES
CATHALOGI:

1mo: Palatinorum Regni Hungariæ, Locumt. & Pro-Palatinorum.

2do: Judicum Curiæ Regiæ.

3tio: Banorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ.

4to: Primatum Regni Hungar. seu Archi-Episcopor. Strigon.

5to: deniqueEpiscoporum Agriensium.

SUPERIORUM PERMISSU

IMPRESSI

AGRIÆ,
Typis Franc. Ant. Royer, Episc. Typographi. Anno 1758.

OPERA & IMPENSIS
REVERENDISSIMI
AC
CLARISSIMI
DOMINI
MICHAELIS
AMBROSOVSZKY,
Canonici Agrienſis; Abbatis B. M. V. de Egreſs; Præpoſiti S. Petri; Archi-Diaconi Szabolcſenſis; SS. Theologiæ Doctoris &c. &c.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

CATHALOGUS PALATINORUM, PRO-PALATINORUM, ET LOCUMTENENTUM REGNI HUNGARIÆ.

CEBA Palatinus sub S. Stephano Protho-Rege Hung. ab A. 1001. *ABA*, vel *OBO*, Palatin. ab An. 1034. sub S. Stephano, & Petro Regibus; dein Rex Hungariæ post Petrum; habuit in uxorem, *Saroltham* S. Stephani Regis sororem, filiam Geyzæ Ducis.

ZÁCHE, Pal. A. 1055. obiit A. 1056. ſub Andrea I.

RÁDO, Pal. ſub eodem Rege ab An. 1056.

ACHA, Pal. ſub Salomone an. 1064.

VIDUS, Pal. ſub eodem Rege ab an. 1072. uſque ad an. 1074.

JULA I. Pal. ſub Geyza I. S. Ladislao, & Colomanno, ab an. 1075.

JOANNES I. UROS, Pal. ſub Colomanno, & Stephano II. ab an. 1100.

LAMBERTUS, Pal. ſub Stephan. II. & Bela II. an. 1125 uſque ad 1132.

FAUSAL, Pal. ſub Bela II. cæco, & Geyza II. ab an. 1137.

GERZEON, Pal. ſub Geyza II. anno 1148. uſque ad an. 1155.

BELUS, Pal. ſub Geyza II. & Steph. II. an. 1156.

OMPUD, Pal. ſub Steph. III. anno 1165. iterum 1172.

THOMAS I. Pal. ſub Steph. III. an. 1166. iterum 1186.

DIONISIUS I. Pal. ſub Bela III. an. 1184.

MOGH,

MOCH, Comes Bacſiens. Pal. ſub Bela III. an. 1188.

DOMINICUS I. Comes Borſodienſis Pal. ſub Bela III. an. 1192.

FARKAS, Pal. ſub Emerico 1196. ad 1197.

ESAU, Comes Bacſienſis, Pal. ſub Emerico 1197.

MIKE I. Pal. ſub Emerico, Ladislao II. & Andrea II. an. 1201. uſque ad 1205.

CHEPANUS de Hedervára, Pal. ſub Andrea II. ab an. 1206.

POTH de Hedervára, Comes Moſon. ſub Andrea II. ab an. 1209.

BANK, Comes Kôjônienſis, Pal. ſub Andrea II. an. 1212. iſte dicitur Reginam Gertrudem occidiſſe, eo quod uxorem ſuam in adulterium pellexerit, & ab Andrea Rege abſolutum fuiſſe a crimine.

JULA II. Comes Bodrogienſis, Pal. ſub eodem Rege. 1215. ad 1218.

NICOLAUS I. Giletus Dux Sirmii, & Comes Sopronienſis Pal. ſub eodem Rege. 1219.

JULA MAGNUS de Borcz, Comes Scepuſienſis Pal. ſub eodem Rege an. 1224.

iterum 1226. Ex his, & aliis patet, quod his primis sæculis officium Palatini nondum fuerit perpetuum.

PHILIPPUS, Comes de Szepes Ujvár. Pal. sub eodem Rege. 1225.

NICOLAUS II. *de Borthz*, Comes Sopronienſis, Pal. sub eodem Andrea. II.

MOYS, vel *MOYSES*, Pal. sub eodem 1230.

DYONISIUS II. *Vialka de Hedervára*, Pal. sub eodem Andrea an. 1232.

VILERMUS DRUGETH de Homoña, Pal. sub Bela IV. 1235. ad 1239.

LADISLAUS I. Comes Simegienſis, Pal. sub Bela IV. 1240.

ARNOLDUS, Pal. sub eodem Rege. 1242.

STEPHANUS I. Pal. sub eodem an. 1243.

DYONISIUS III. *de Vialka*, Pal. sub eodem 1244. iterum 1252.

MIKE II. Comes Bihar. Pal. sub Bela IV. an. 1246. ad 1247.

STEPHANUS II. *de Csák*, Pal. sub eodem Rege. 1247.

DE-

DEMETRIUS de Csák, Pal. sub eodem Rege. 1248.

ROLANDUS, Comes Pos. Pal. sub eodem Rege. an. 1251. item 54. & 55.

HENRICUS I. Pal. sub eodem 1253.

THOMAS II. Pal. sub eodem 1260.

HENRICUS II. Pal. sub eodem Bela IV. an. 1263.

LAURENTIUS I. *Poth de Hedervára*, Comes Simeghiensis, & Sopronienſ. Pal. sub eodem Bela IV. an. 1267.

MOYS, *seu MOYSES* II. Pal. R. H. primus scribitur fuisse Judex Cumanorum sub Bela IV. cujus filiam Sabinam in uxorem habuit, & sub Stephano V. an. 1270.

ROLANDUS, Banus Machov. Pal. H. & Jud. Cumanor. sub Lad. IV. 1272.

COMES DYONISIUS IV. *de Oklics*, Pal. & Jud. Cum. sub Ladisl. IV. 1274.

NICOLAUS III. Comes Sopron. Pal. H. & Judex Cumanor. sub Ladisl. IV. an. 1275. ad 78.

MATHÆUS I. Comes Simeg. & Sopron. Pal. & Jud. Cuman. sub Ladis. IV. 1278.

PINTHA, Pal. R. H. & Jud. Cum. sub Ladisl. IV. an. 1281.

NICOLAUS IV. Pal. Hung. & Jud. Cum. sub Ladis. IV. an. 1284.

NICOLAUS V. Pal. Hung. Com. Simeg. Posf. Tholn. & Albensis, Jud. Cum. sub Andrea III. 1293.

JOANNES II., Pal. sub eodem an. circiter 1298. ad 99.

OPOR. Pal. sub eodem Andr. 1300.

MATHÆUS II. *de Trenchin.* Pal. sub Vencesl. circa 1302.

AMADÆUS de Haba. Pal. sub Car. I. circa 1308.

COPOSCHUS, Pal. R. H. sub Ottone circa 1308.

DOMINICUS II. *Magnus de Haszno* Pal. sub Car. I. 1313. ad 1321.

PHILIPPUS DRUGETH de Homonna, Comes Scepusien. & de Aba-Ujvár. Pal. & Judex Cum. sub Carolo I. 1322. ad 1330.

JOANNES III. *DRUGETH*, *de Homonna*, Pal. Ungariæ & Judex Cum. sub Carolo I. an. 1330. ad 1333.

GUILIELMUS sive *VILHELMUS DRU-*

DRUGETH, *de Homonna*, Pal. Regni Hung. & Judex Cum. ſub Carolo I. & Ludov. I. an. 1334.

NICOLAUS VI. *GYLETUS*, Pal. Hung. & Judex Cum. ſub Ludov. I. an. 1343.

NICOLAUS VII. *KONTH*, *de Hedervára*, Pal. & Jud. Cum. ſub Ludov. I. an. 1352. ad 1367.

LADISLAUS II. Dux Opuliæ, & Velunenſis Pal. Hung. & Jud. Cum. ſub Ludovico I. an. 1368. ad 1373.

EMERICUS I. Pal. & Jud. Cum. ſub Ludov. I. 1373.

NICOLAUS VIII *de Gara*, Pal. & Jud. Cum. ſub Ludov. I. & Maria an. 1375. ad 1387.

NICOLAUS IX C. *de Szécb*, Pal. & Jud. Cum. ſub Maria & Sigismundo an. 1387.

STEPHANUS III. Pal. & Jud. Cum. ſub Sigismundo an. 1389. ad 1391.

LEUSTACHIUS de Ilsva, Comes Albenſis Pal. & Jud. Cum. ſub Sigismundo an. 1392. ad 1397.

DETRICUS BUBEK, *de Pelsócz*, Pal. & Jud. Cum. ſub Sigismundo an. 1397.

NICOLAUS X. *MARCZALTHEG*, Pal. & Jud. Cum. ſub Sigismundo an. 1400.

NICOLAUS XI. *de Gára*, Pal. & Jud. Cum. ſub Sigismundo 1403. ad 1433. Nicolai 8vi Pal. Filius.

MATHÆUS de Palócs, Pal. & Jud. Cum. ſub Sigismundo 1434. ad 1437.

LAURENTIUS II. *de Hedervára*, Pal. & Jud. Cum. ſub Regibus Sigismundo, Alberto, Uladislao Polono & Joanne Hunniade Guberna. 1437.

LADISLAUS III. *de Gára*, Pal. ſub Joan. Hunniade Guber. & Ladislao Poſthumo circa 1449. ad 1460.

MICHAEL I. *ORSZÁGH de Guth*, Pal. & Jud. Cum. ſub Mathia Corvino an. 1460. ad 1481. vacavit dein hoc officium 5. annis.

URBANUS DÓCZI de Nagy Luche, Epiſ. Agrien. Locumten. Regius ſub Mathia Corvino. & Ulad. II. circa an. 1481. iterum an. 1487. ad 1492.

EMERICUS II. *de Zápolya*, Com. Scep. Pal. Hung. & Jud. Cum. ſub Mathia Corvino an. 1485. ad 1487. vacavit dein

Pa-

Palatinatus iterum 5. annis. Locumtenens fuit Urbanus Dóczi. ut ſupra.

STEPHANUS IV. *de Zápolya*, Perp. Com. Scep. Pal. R. Hung. & Judex Cum. ſub Uladis. II. a. 1492. ad 1499.

PETRUS GEREB de Vingarth, Pal. & Jud. Cum. ſub Uladis. 1500. ad 1504.

EMERICUS III. *PERÉNIUS*, Com. Perpetuus Aba-Ujvarien. Pal. R. H. & Judex Cum. ſub Uladis. ab an. 1504. ad 1517.

STEPHANUS V. *BÁTHORI*, Pal. & Jud. Cum. ſub Ludov. II. an. 1517. & ſub Ferdinando I. an. 1526. ad 1535. vacavit dein Palatinatus 19. annis.

MICHAEL KESERÚ, Pal. Reg. Hung. ſub Joanne de Zapolya an. 1526.

JOANNES IV. *BÁNFFY de Alſó-lindva*, Comes de Verőcze. Pal. R. H. ſub Joanne de Zapolya, 1530. ad 1533. Poſt hunc Ludovicus Grittus denominatus eſt a Joanne Rege in Gubernatorem Ungariæ; quem tamen Valachi ſequenti anno una cum duobus Filiis Antonio & Andrea occiderunt.

ALE-

ALEXIUS TURZO de Betlehemfalva, Locumt. Reg. ſub Ferdinando I. ab an. 1535. ad 1543. & Judex Cumanorum.

FRANCISCUS de Réva, Pro-Palat. ſub Ferdinando I. ab an. 1543. ad 1553.

PAULUS de Várda, Archi-Epiſ. Strig. Locum. Reg. ſub Ferdinando I. ab an. 1543. ad 1549.

FRANCISCUS UJLAKJ, Epiſ. Agri. Locum. Reg. ſub Ferdinando I. an. 1549.

THOMAS III. *NÁDASDI*, Pal. & Jud. Cum. ſub Ferd. I. an. 1554. ad 1562. Vacavit dein Palatinatus annis 46. uſque ad annum 1608vum.

NICOLAUS OLAHUS, Archi-Epiſ. Strig. Logum. Reg. ſub Ferdi. I. & Maximiliano II. ab an. 1562. ad 1568.

MICHAEL de Mére, ſive *Mérej*, Pro-Pal. ſub Ferdin. I. & Maximil. II. an. 1563. ad 1572.

PAULUS BORNEMISZA, Epiſcopus Tranſyl. Locumtenens Reg. ſub Maximil. II. an. 1568. Epiſcopatus item Nitrienſis Adminiſtrator.

ANTONIUS VERANTIUS, Archi-Epiſcopus Strig. Loc. Reg. ſub Maximil.

II.

II. & Rudolpho II. ab an. 1572. ad 1573.

EMERICUS CZOBOR de Czobor Szent Mihály, Pro-Pal. ſub Maximiliano II. & Rudolpho II. an. 1572. ad 1582.

STEPHANUS RADETIUS, Epiſc. Agri. Locum. Reg. ſub Maximiliano II. & Rudolpho II. an. 1573. ad 1586.

NICOLAUS ISTVÁNFFIUS, Pro-Pal. ſub Rudolpho II. an. 1582. ad 1608.

GEORGIUS DRASKOVICS, S. R. E. Card. Archi-Epiſcopus Colocenſ. Locum. Reg. ſub Rudolpho II. an. 1586. ad 1587.

STEPHANUS FEJÉRKÓVI, Epiſc. Nittr. Dein poſt 23. annos Vacantiæ, Archi-Epiſcopus Strigonienſis, & Locum. Reg. ſub Rudolpho II. ab an. 1588. ad 1596.

JOANNES KUTASSI, Archi-Epiſc. Strigonienſ. Locum. Reg. ſub Rudolpho II. an. 1597. ad 1601.

MARTINUS PETHÓ, *de Hetes*, Archi-Epiſc. Coloc. Locum. Reg. ſub Rudolpho II. ab an. 1602. ad 1605.

FRANCISCUS FORGÁCS, S. R. E. Car.

Car. Archi-Epiſc. Strig. Locum. Reg. ſub Rudolpho II. ab an. 1607. ad 1608.

STEPHANUS C. ILLYÉSHÁZI, de Illésháza, Pal. Hung. & Jud. Cum. ſub Mathia II. ab an. 1608. ad 1609. Lutheranus.

GEORGIUS TURZÓ, de Betlemfalva, Pal. & Jud. C. ſub Mathia II. ab an. 1609. ad 1616. itidem Lutheranus.

C. SIGISMUNDUS FORGÁCS, de Gymes, Pal. & Jud. C. ſub Ferdinando II. ab an. 1618. ad 1621. convertita ad Fidem Catholicam ex Lutheraniſmo.

STANISLAUS TURZÓ de Betlemfalva, Pal. & Jud. Cum. ſub Ferdinando II. ab an. 1622. ad 1625. Lutheranus.

NICOLAUS XII. C. ESTERHÁZY de Galantha, Aurei Velleris Eques. Pal. & Jud. C. ſub Ferdinando II. & III. ab an. 1625. ad 1645. inæſtimabile fulcrum Fidei Catholicæ in Hungaria. Prima ejus Uxor fuit *Urſula Derſffia*, relicta Vidua Franciſci Magócſi, Generalis Caſſovienſis; altera *Chriſtina Nyáry*; ex quâ nâtus eſt *Paulus*, qui expoſt pariter factus eſt Palatinus Regni, & S. R. I. Princeps.

JO-

JOANNES V. C. DRASKOVICS, de Trakoſztyán, ex Bano Croatiæ Pal. & Jud. Cum. ſub Ferdinando III. ab an. 1646. ad 1648. Zelo defendendæ Fidei Catholicæ inſignis.

PAULUS I. C. PÁLFFY ab ERDÔD, Aurei Velleris Eques. Pal. R. H. Jud. Cum. ſub Ferdinando III. ab an. 1649. ad 1654. Filius Nicolai Pálffi. Paulus hic arcem Poſonienſem quâ Cameræ Præſes ex fundamentis eduxit. an. 1600.

FRANCISCUS C. VESSELÉNYI, de Hadad, & in Murány; Aurei Velleris Eques. Pal. & Jud. C. ſub Ferdinando III. & Leopoldo Magno an. 1655. ad 1667. ab obitu ejus vacavit Palat. annis 14. *Maria Szécſi*,, ejus Vidua in carcere Viennæ defuncta eſt.

GEORGIUS SZELEPCSÉNI A. E. Strig. Locumt. Reg. ab an. 1667.

CASPAR AMBRINGENIUS, Teutonicorum Equitum Magiſter, factus eſt Gubernator Hungariæ an. 1672. quod tamen officium, utpote Hungaris inviſum, & inſolitum an. 1681. iterum depoſuit, & ſe in Franconiam recepit.

PAU-

PAULUS II. ESZTERHÁZI, de Galantha, S. R. I. Princeps; Aurei Velleris Eques Pal. & Jud. Cum. sub Leopoldo I. Josepho I. & Carolo VI. ab an. 1681. ad 1712. Filius *Nicolai* Palatini.

NICOLAUS XIII. C. PÁLFFI, ab Erdód, Aurei Velleris Eques Pal. Ung. sub Carolo VI. ab an. 1714. ad 1732. Filius Nicolai III.; Nepos Stephani, Coronæ Custodum; Pronepos Nicolai I. qui Jaurinum a Turca recepit, & in art. 48. 1599. a toto Regno laudatus, recomendatusque est singulariter Rudo. II. Imperatori.

SEREN. DUX LOTH. FRANCISCUS; nunc *Augustissimus Rom. Imp.* Locumt. Reg. sub Carolo VI. ab an. 1732.

JOANNES VI. C. PÁLFFI ab Erdód, Aurei Velleris Eques, Pal. Hung. & Jud. Cum. sub Maria Theresia, ab an. 1741. ad 1751. Germanus Frater Nicolai Palatini.

LUDOVICUS C. de BATTHYÁN, perpetuus in *Németh-Ujvár*, Aurei Velleris Eques, antea Cancellarius Aulæ, factus est Pal. Reg. Hung. & Jud. Cum. sub Maria Theresia Imperatrice, & Regina Hungariæ an. 1751. vivit, & vivat.

Labor, aC aMor Coronari DIgnI sVnt.

CATHALOGUS
JUDICUM CURIÆ REGNI HUNGARIÆ.

KUPAN I. Judex Curiæ sub Andrea I. ab an. 1055. ante hunc, an? & qui fuerint Curiæ Judices, sub S. Stephano, Petro item, & Aba Regibus? nondum innotuit.

LACUNA, ab an. Christi 1057. usque 1108. sub eodem Andrea, & S. Ladislao.

APPA sub Colomanno ab an. Christi 1108.

OTMARUS, sub eodem Colomanno ab an. 1114.

GEORGIUS, sub Bela II. cæco ab an. 1137.

GEREON, sub Geyza II. ab an. Christi 1148.

HEDRICUS, sub Geyza II. & Stephano III. ab an. 1156.

CADITIUS, sub Stephano III. ab an. Christi 1166.

MÓK, *vel MÓKUS*, sub eodem Rege ab an. Christi 1166.

LAURENTIUS, sub Ladislao II. an. Christi 1172.

CHARENA, sub Bela III. an. Christi 1185.

DOMINICUS, sub Emerico an. Christi 1193. &c.

PETRUS TUROY, sub Emerico, Ladislao III. & Andrea II. ab an. 1198.

OCHUZ, sub Andrea II. an. Christi 1215.

JULA, *vel GTULA*, sub eodem Andrea II. an. 1219.

JANKÓ, sub eodem Rege an. Christi 1221.

LADISLAUS, sub eodem Andrea II. an. Christi 1224.

DEMETRIUS, sub eodem Andrea II. Rege, & Bela IV. an. Christi 1239.

ROLANDUS, sub Bela IV. Rege an. Christi 1246.

PAU-

PAULUS, sub eodem Rege an. Christi 1251.

HENRICUS, sub eodem Rege an. Christi 1254.

DEMETRIUS, sub eodem Rege an. Christi 1264.

NICOLAUS de GUECHVE, Vajvoda de Bánya sub Bela IV. & Stephano V. an. Christi 1272.

NICOLAUS COMES de GÓCHKÓ, & Simegiensis. an. Christi 1273. & 1275. sub iisdem Regibus.

ALEXANDER, sub Stephano V. ab an. 1275.

LADISLAUS, sub Ladislao IV. Rege an. Christi 1278.

MAURITIUS. sub eodem Rege.

ALEXANDER, sub eodem Rege an Christi 1285.

LAMBERTUS, sub Carolo Roberto Rege anno Christi 1324.

PAULUS, sub eodem Rege an. Christi 1327. & 1329.

DESÓ, sub Elisabetha Regina, an. Christi 1330.

THOMAS de MONOSZLÓ, ſub Ludovico I. ad an. Chriſti 1351.

NICOLAUS DRUGETH de Homonna, ſub eodem an. Chriſti 1355.

NICOLAUS de SZÉCH, ſub eodem Rege an. Chriſti 1358.

NICOLAUS UGRINI, ſub eodem Rege an. Chriſti 1359.

NICOLAUS de Hedervára, Albenſis, & Tholnenſis Comes ſub eodem Rege an. Chriſti 1364.

STEPHANUS BUBEK, ſub eodem Rege an. Chriſti 1368.

JACOBUS de SZEPES, ſub eodem Rege an. Chriſti 1370.

PETRUS ZUDÁR, ſub eodem, & Maria Regina an. Chriſti 1384.

EMERICUS BUBEK, ſub Maria, & Sigis. Rege an. Chriſti 1389.

JOANNES ZÁPOLYA, ſub Sigis. Rege an. Chriſti 1396.

JOANNES de PÁSZTHÓ, ſub eodem Rege an. Chriſti 1397.

FRANKÓ, ſub eodem Rege an. Chriſti 1409.

SI-

SIMON de ROZGON, sub eodem Rege an. Christi 1416.

PETRUS de PERÉN, sub eodem Rege an. Christi 1423.

STEPHANUS COMPOLT de Nána, sub eodem R. an. Christi 1424.

MATHÆUS de PÁLÓCZ, sub eodem Rege an. Christi 1429.

CHRISTOPHORUS ORSZÁGH de Guth, sub eodem Rege, Obiit an. 1430. ætatis suæ 32. sepultus in oppido Cseithe.

STEPHANUS de Báthor, sub Regibus Sigis. Alberto, Ladislao Posthumo, Uladislao ad Varnam cæso ab an. 1434.

MICHAEL ORSZÁGH de Guth, usque ad an. 1444.

LADISLAUS PÁLÓCZ, sub Ladislao, & Mathia Regibus an. Christi 1454.

STEPHANUS BATHORIUS, sub Mathia Rege ab an. Christi 1479.

PETRUS GEREB de Wingardt, sub Uladislao II. an. Christi 1493. usque 1499.

PETRUS Comes de S. Georgio, & Bazin Vajvoda Transylvaniæ, sub Uladislao II., & Ludovico II. Regibus an. 1504. usque ad an. 1516.

LAURENTIUS Dux de Wylak, Dux Syrmii, Vajvoda Tranſylvaniæ, & Comes Themeſienſis, ſub Uladislao, & Ludovico II. Regibus anno Chriſti 1516. uſque ad an. 1522.

JOANNES DRAGFFI de Beolthek, Vajvoda Tranſyl. & Comes Themeſienſis, ſub Ludovico II. Rege, ab an. Chriſti 1522. cecidit in Pugna ad Mohácz an. 1526.

GEORGIUS PÓSTÉNI, Comes de Martonuſs, ſub Joanne Zapolio.

ALEXIUS TURZÓ, de Bethlehemfalva, ſub Ferdinando I. Cæſare, & Hungariæ Rege an. Chriſti 1527. uſque ad an. 1535. & 1543.

THOMAS COMES de NÁDASD; ſub Ferdinando I. an. Chriſti 1543. Dein Regni Hungariæ Palatinus.

ANDREAS BÁTHORI, Comes Simeghienſis, Szatmarienſis, & de Szabolch Vajvoda Tranſylvaniæ ſub Ferdinando I., & Maximiliano II. an. Chriſti 1553.

NICOLAUS BÀTHORI, Comes Simeghienſis, Szathmarienſis, & de Szabolcz,

bolcz, sub Rudolpho II. Rege, & Imperatore an. Christi 1580.

STEPHANUS BÁTHORI, sub Rudolpho Rege, & Imperatore an. Christi 1587. usque ad an. 1605. ultimus ex Familia Báthorea; factus Calvinista; adhæsitque Stephano Bocskaio rebelli.

SIGISMUNDUS FORGÁCS de Gymes, Comes Neogradiensis, Saroſienſis, & Szabolczenſis, ſub Rudolpho, & Mathia II. ab an. Christi 1607.

GEORGIUS DRUGETH de Homonna, obiit an. 1620. 21. Junii ſub Ferdinando II. ætatis ſuæ 37. ut apparet ex Epitaphio Tyrnaviæ eidem poſito.

NICOLAUS ESZTERHÁZY de Galantha, ſub Ferdinando II. ab an. Christi 1622. uſque ad an. 1625. dein R. H. Pal.

MELCHIOR ALAGHY, Perpetuus de Beckin, electus Sopronii an. 1625. 27. Nov. e Magiſtro Tavernicorum Regalium.

PAULUS RÁKÓCZY de Felsó Vadász, ſub Ferdinando II. uſque ad an. 1635. Judex Curiæ; Bethlehemii adverſarius.

JO-

JOANNES DRUGETH de Homonna, electus Viennæ an. 1636. 29. Apr.

C. PAULUS PÁLFFI ab Erdód, electus Lincii die 6. Feb. an. 1646. dein 1649. Palatinus & Aurei Velleris Eques; Filius *Nicolai*, Immortalis illius Herois, qui an. 1599. toti Familiæ Pálffianæ Comitis Posón. titulum, & multorum Bonorum Possessorium obtinuit a Rudolpho II. Imperatore ob sua ingentia merita; obiit Paulus an. 1654.

C. LADISLAUS CSÁKY, Perpetuus Comes Scepusienſis, electus Viennæ 23. Octobr. 1649. obiit Posonii 1655. Avus Eminen. Cardin. *Emerici Csáky* Archi-Episcopi Colocensis & Episcopi Varadiensis, qui obiit 1732. 28. Augusti, olim Canon. Agriensis, & Parochus Cassoviensis.

C. FRANCISCUS de NÁDASD. Perpetuus Terræ Fogaras, electus an. 1655. 17. Junii, dictus Cræsus Hungariæ.

C. ADAMUS FORGÁCS, electus 18. Octobr. 1670. obiit an. 1681. ætatis suæ 80. Filius Sigismundi Forgács, olim pariter Judicis Curiæ Regiæ.

C.

C. *NICOLAUS DRASKOVICS*, electus 1681. 27. Decembr. Religionis Catholicæ in Croatia Defensor, & Promotor eximius. Obiit an. 1687. functus est munere Commissarii Regii in negotio Religionis.

C. *STEPHANUS CSÁKY*, electus in Judicem Curiæ an. 1687. in Comitiis Poson. dictus *Cicero Ungaricus* Genitor Eminentiss. Card. Csáky, & Archi-Episcopi Colocensis, de quo supra mentionem fecimus.

C. *ADAMUS BATTYÁNY*, an. 1700. 13. Martii ex Bano Croatiæ, factus est Judex Curiæ; Heros sui temporis inæstimabilis; Ottomannicæ perfidiæ vindex acerrimus.

C. *GEORGIUS ERDÓDI*, *de Monyorokerék*, Frater Germanus Christophori eotum Cameræ Præsidis; natus an. 1646. ex Gabriële Erdôdy, et Juditha Comitissa Amade, Templi, & Cænobii in S. Catharina Fundatoribus; ex Tavernicorum Regalium Magistro, factus est Judex Curiæ sub Josepho I. Imperatore, & Rege Hungariæ. Duas habuit successive

Conjuges; unam Elisabetham Rákóczy, Comitis Adami Erdôdi Viduam, Dianæ Cultricem. Alteram Comitis Adami Zichy Viduam Theresiam e Comitibus Jakusics. Obiit vir hic magni Consilii, & Legum Patriarum peritissimus. an. 1712. sine Liberis in Arce Szomolyán, sepultus ad S. Catharinam. Frater ejusdem Christophorus reliquit post se 5. Liberos ex Consorte sua Pálffia duorum Pro-Regum Nicolai, & Joannis Pálffi Germana Sorore Susceptos; *Ladislaum Adamum* expost Episcopum Nittriensem & Cancellarium Regni; *Georgium*, *Leopoldum* modernum Judicem Curiæ; *Gabrielem*, *Antonium* defunctum Episcopum Agriensem; *Emericum*, Militari, non minus, ac Castimoniæ Laude Comendatissimum; & *Josephum* præmaturo fato abreptum an. 1723. relicta Vidua Theresia Berényi, & duabus Filiabus ex eadem genitis.

C. *NICOLAUS PÁLFFY ab Erdód*, ab an. 1713. Judex Curiæ Regiæ, dein an. 1714. Palatinus Regni sub Carolo VI. & Aurei Velleris Eques. Obiit Malaczkæ an. 1732.

C.

C. *STEPHANUS KOHÁRI*, Judex Curiæ ab an. 1714. Immortale fidelitatis, ſpeculum, & exemplar, quem Tökôliani pluribus annis Captivum tenentes, a fide tamen ſuo Legitimo Regi Jurata avellere non potuerunt. In res ſacras, & Eccleſiaſticum Ordinem fuit adeo liberalis, & munificus, ut antiquorum Ungarorum pietatem, & munificentiam in Religionis Catholicæ incrementum adæquaſſe videatur. Obiit vir hic æterna memoria digniſſimus in arce ſua Cſábrák an. 1731. ſucceſſit eidem.

C. *JOANNES PÁLFFY*, ex Bano Croatiæ Judex Curiæ an. 1732. Germanus Frater Nicolai Palatini, eodem an. defuncti; factus & ipſe Palatinus Regni an. 1741. ſub Maria Thereſia Regina Ungariæ, Filia, & Hærede Caroli VI. Imperatoris & Reg. Hungariæ. Obiit an. 1751.

C. *JOSEPHUS ESZTERHÁZY*, factus Judex Curiæ an. 1741. ex Bano Croatiæ. Obiit an. 1748. 10. Maji ætatis 66.

C. *GEORGIUS ERDÓDI*, *de Monyorókerék*, ex Cameræ Præſide, & Coronæ

Cu-

Custode factus Judex Curiæ an. 1748. 15. Maji. Aurei Velleris Eques. Cottus Barsiensis Supremus; Varasdiensis item Perpetuus Comes; sago & toga meritissimus; utpote, qui totam vitam suam, usque ad senilem ætatem in graviſſimis, iisque utiliſſimis Regis, & Regni servitiis consumit. Ex Theresia Eszterházy Principis Pauli Eszterházy condam Palatini Filia tres habet superstites Hæredes Masculos: *Antonium* Generalem & I. Cottus Arvensis supremum Comitem; *Joannem Nepomucenum*, Exc. Consilii Regii Locumt. nec non Cameræ Hungarico-Aulicæ Consiliarium; denique *Christophorum* suæ Majestatis Sacratiſſimæ Camerarium;

PATRIÆ, AC FAMILIÆ SVÆ DECORA.*
VIVAT ERGO GEORGIVS ERDÖDI, AVREI VELLERIS
EQVES; CVRIÆ REGIÆ IVDEX! *
Id est:
LEGALIS SAPIENTIÆ CVLTOR, ET MODERATOR. *
ATQVE AD NESTOREOS, SI DIIS PLACET, ANNOS ASCENDAT!*

CA-

CATHALOGUS
BANORUM CROATIÆ, DALMATIÆ, ET SCLAVONIÆ;
SEU
Series Banorum ſub Regibus Croatiæ.

BILITUS, Banus Croatiæ an. 870. ſub Radoslao Rege.

SUDOMIR, Dalm. & Croatiæ Banus an. 912. ſub Goſtumil Rege Croatiæ an. 900.

PRIBINA, Banus Croatiæ ſub Creſimiro I. R. Boſniæ, Dalmatiæ & Croatiæ an. 965.

SVETOSLAUS, & *Goislaus*, Bani an. 1000. ſub Creſimiro II. Rege Dalmatiæ, & Croatiæ.

STEPHANUS, Ban. & Jadræ Gubernator pro Imper. Græcis an. 1018.

PAULUS, Croatiæ Banus an. 1076.

ſub

ſub Zvonimir Demetrio Rege Dalm. Croat.

NB. *THOMAS*, Archi-Diaconus Spalatenſis narrat *Jure Belli*; Rárkaius vero *Jure hæreditatis* per *Lépam* S. Ladislai Sororem *Zvonimiro* nuptam, Regnum Croatiæ, & Dalmatiæ fuiſſe coronæ Hungariæ adjectum per S. Ladislaum.

Series Banorum ſub Regibus Hungariæ.

PETRUS, B. Dalm. a. 1096. ſub Colomanno Rege.

ANONYMUS, B. a. 1116. ſub Stephano II. Rege.

BELA, B. Dalm. a. 1142. & antea; ſub Geyza II. Rege.

ANDREAS, B. Dalmatiæ a. 1198. ſub Emerico Rege.

PETRUS BENKO, B. Sclavoniæ a. 1217. ſub Andrea II. Rege.

BÁNFIUS BAZADUS, Ban. Croatiæ ante annum 1233.

EMERICUS BEBEK, Dalmatiæ & Croatiæ Banus ſub Bela IV. Rege a. 1236.

AL-

ALBERTINUS, Dux Sclavoniæ a. 1240. sub eodem Rege; *Dionysius de Vialka* ex Familia de Hedervára, Banus, & Dux Sclavoniæ a. 1241.

MINOSCLAVUS, Banus Bosniæ sub Bela IV.

STEPHANUS, Banus Sclavoniæ an. 1245. sub eodem Rege.

COMES BUTTEKO, Maritimus Banus an. 1259. sub eodem.

JUACHINUS, ex genere *Subich* Sclavoniæ Ban. 1271. sub Stephano V. R. & Ladislao IV. an. 1278.

PAULUS SUBICH, Comes Spal. Banus Maritimus; *Horváth* Dalm. & Dominus Bosnæ; *Nicolaus* vero ejus Frater Dalm. & reliquæ CroatiæBani a. 1275. sub Steph. V. Rege.

MLUDINUS, Banus Croatiæ an. 1312. sub Carolo I. R.

NICOLAUS, Banus Sclavoniæ a. 1323. sub eodem.

MICHAEL BARO DE MICKÁCZ, Sclav. Banus a. 1326.

NICOLAUS de SZECH, Sclav. totius Banus sub Ludovico I. Rege a. 1342.

MA-

MATHÆUS MAROTIA, Sclav. Banus an. 1350.

STEPHANUS, Banus totius Sclav. & Croatiæ an. 1351.

JOANNES ZUUS, Croat. & Dalm. Banus an. 1357.

PETRUS, Croat. & Dalm. Banus an. 1361.

COMES ANZ, Sclavoniæ Banus a. 1363.

ANONYMUS, Banus Maritimus Croat. an. 1364.

CAROLUS DYRRACHIUS, Dalm. & Croat. Ban. an. 1369.

HENRICUS seu EMERICUS BUBEK, Dalm. & Croatiæ Banus ab an. 1380. ſub Ludovico I. & Maria Regina.

NICOLAUS GARA & JOANNES de MACHOV, Sclavoniæ Bani an. 1381.

PETRUS ZUDAR, Sclavoniæ Banus an. 1382.

JOANNES HERICHORTH vel HORVATH, & alii, Croat. & Sclavoniæ Bani an. 1382.

STEPHANUS LACZKOVICS, & Comes *THEPLINUS* Croatiæ Bani a. 1384. ſub Carolo parvo, & Sigiſm. Rege.

JO-

JOANNES HERVOJA, ab an. 1383. & alii. *Ladisl. de Lucens; Detricus Bubek; Joannes Marótth* Sclavoniæ Bani: *Paulus Bissenus; Paulus de Pesth; Stephanus de Loschon, David Laczk*, de Szántó; *Joannes Medvé* Croat. Bani.

HERMANNUS, Comes Ciliæ, & Zagoriæ; Dalm. Croat. Sclavoniæ Banus ab an. 1406. cum Joanne, & Stephano *Weghl*, Segniæ, & Modrusiæ Comitibus.

MATTHKO de Tálócz, Dalm. Croat. Sclavoniæ Banus an. 1420. sub Alberto Rege an. 1438. & Uladislao I. an. 1440.

FRANCISCUS de Thálócz, Dalm. Croat. Sclav. Banus an. 1442.

NICOLAUS UJLAKI, Sclavoniæ totius Banus an. 1449. sub Ladislao V. 1452. & Mathia I. Rege an. 1458.

EMERICUS ZÁPOLYA, Dalm. Croat. & Sclav. Banus an. 1464. sub Mathia I. Rege.

JOANNES VITORICH, de Grebenin, & *Joannes Ibúz de Lak*, Banus Dalm. Croat. Sclav. & Bosniæ an. 1467. sub eodem Mathia I. Rege.

BLASIUS MAGYAR, Dalm. Croat.

Sclav. & Boſniæ Banus an. 1470. *Joannes Ernuſt* Sclavoniæ Banus; & *Ladislaus Herman, de Gereben*, Vice-Banus a. 1475. *Petrus Bocskay* Sclav. Ban. an. 1476. ſub eodem Rege.

MATHIAS GEREB de Wingarth, Dalm. Croat. & Sclav. Banus an. 1484. ſub eodem R.

JOANNES CORVINUS, Filius naturalis Matthiæ Regis Dalm. Croat. & Sclavoniæ Banus ab an. 1491. ſub Uladislao II.

LADISLAUS de Eger-Vár, Dalm. Croat. Sclavon. Banus 1492. ſub eodem Rege.

EMERICUS DERECZENNIUS, & JOANNES BOTHUS, Dalm. Croat. & Sclavoniæ Bani ſub Uladislao II. circa an. 1493.

GEORGIUS de Caniſa, Dalm. Croat. & Sclav. Banus an. 1494.

JOANNES CORVINUS, Dalm. Croat. & Sclav. 2do. Banus an. 1500.

ANDREAS BOTHUS, Franciſcus *Balaſſa*, & Marcus *Mislenovich* Dalm. Croat. & Sclav. Bani an. 1504.

EME-

EMERICUS PERÉNIUS, ab an. 1513. dein Palatinus Regni; & *PETRUS BERISZLO*, Episcopus Veszprimiensis, Dalmat. Croat. Sclav. Bani sub Uladislao II. Rege.

FRANCISCUS BATTYÁNI, & *JOANNES KARLOVICH*, Dalm. Croat. Sclav. Bani ab an. 1522. ante Cladem Mohacsianam, quæ contigit an. 1526. in qua Ludovicus II. Rex cecidit.

Series Banorum sub Regibus Hungariæ Austriacis.

FRANCISCUS BATTYÁNI, & *JOANNES KARLOVICH*, Christophorus *Frangepán* Dalm. Croat. Sclav. Bani an. 1526. sub Ferdinando I., Joanne item Zápolya Regibus.

PETRUS KEGLEVICH, & *THOMAS NÁDASDI*, Dalm. Croatiæ, Sclavoniæ Bani an. 1538.

NICOLAUS I. Comes a Zrinio, Dalm. Croat. & Sclavoniæ Banus an. 1542. a defensione *Szigethi* celebratissimus

PETRUS III. ERDÖDI de Monyorokerék,

rék, Dal. Croat. & Sclav. Banus an. 1557. Hujus Genitor Petrus II. Nepos Thomæ Bakács Card. Agazonum Regalium Magiſter, & Inclyti Cottus Caſtriferrei ſupremus Comes, poſt Cladem Mohacſianam Venetias transmigravit, una cum Conſorte ſua Barbara Puchamia; ibique mortuus eſt.

FRANCISCUS SZLUNIUS, & *GEORGIUS DRASKOVICH*, Dalm. Croat. & Sclav. Bani an. 1566.

CHRISTOPHORUS UNGNADIUS, Dal. Croat. & Sclav. Banus an. 1578. ſub Rudolpho Imperatore.

COMES THOMAS ERDÖDI, Dalm. Croat. Sclav. Banus an. 1584. Filius Petri Bani; ſub Rudolpho Imperat.

GEORGIUS STANKOVACHKY, Epiſcopus Zagrabienſis, & Joannes *Draskovich* Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bani an. 1595.

BENEDICTUS TURÓCZY, Dalmatiæ. Croatiæ, & Sclavoniæ Banus. an. 1615. ſub Mathia II.

C. NICOLAUS de FRANGEPÁN, Dal. Croat. & Sclav. Banus an. 1616. ſub Ferdinando II. Rege & Imperatore. C.

C. *GEORGIUS a ZRINIO*, Dalm. Croat. & Sclavoniæ Banus 1662. ſub eodem.

C. *SIGISMUNDUS ERDÖDI*, Dal. Croatiæ, & Sclavoniæ Banus an. 1627. Thomæ Bani Filius ſub Ferd. II. Imper.

C. *JOANNES DRASKOVICS*, Dal. Croat. & Sclavoniæ Banus an. 1640. ſub Ferdinando III. Rege & Imperat. dein Palatinus Regni an. 1646.

C. *NICOLAUS* II. *a ZRINIO*, Dal. Croat. & Sclavoniæ Banus ab an. 1649. ſub Ferdinando III. & Leopoldo magno. Filius ~~Nicolai I.~~ occiſus ab Apro in Venatione 1665.

C. *PETRUS ZRINIUS*, Dalm. Croat. & Sclavoniæ Banus an. 1666. Frater Nicolai II. ſub Leopoldo Imp. & Rege Hung.

C. *NICOLAUS ERDÖDI*, Wolffgangi I. Filius, Dalm. Croat. & Sclavoniæ Banus an. 1681. ſub Leopoldo Imperatore.

C. *ADAMUS BATTYÁNI*, Dalmat. Croat. & Sclav. Banus 1693. ſub Leopoldo magno.

C. JOANNES PÁLFFY ab Erdőd, Dalmat. Croat. & Sclav. Banus ab an. 1704. sub eodem & Josepho, ac Carolo VI. Imperat.

C. JOANNES DRASKOVICS, Dal. Croat. & Sclav. Banus an. 1732. sub Carolo VI. Imperatore, & Rege Hungariæ.

C. JOSEPHUS ESZTERHÁZY, Dalm. Croat. & Sclav. Banus an. 1733. ad an. 1741. dein Judex Curiæ; obiit 1748. 10. May sub Maria Theresia Imperatrice, & Regina Hungariæ &c.

C. CAROLUS de BATTYÁN, Aurei Velleris Eques; Campi Mareschallus; Dalm. Croatiæ, & Sclavoniæ Banus usque ad an. 1756. quo an. officium Banale resignavit sub Maria Theresia Imper. & Regina Hungariæ.

C. FRANCISCUS NÁDASDY, Generalis Equitatus; dein Commendans Budensis; tandem. Dalm. Croatiæ, & Sclavoniæ Banus ab an. 1756. vivit & vivat!

Heros

INCOMPARABILIS AD BELLA NATVS.*

CA-

CATHALOGUS PRIMATUM REGNI HUNGARIÆ, SEU ARCHI-EPISCOPORUM STRIGONIENSIUM.

DOMINICUS I. ab an. 1000. sub S. Stephano I. Rege Hungariæ.

B. SEBASTIANUS, ab an. 1002. ad an. 1036. sub eodem S. R. *Sebastianus* hic Archi-Episcopus statim ad initium sui Regiminis visum oculorum amisit, quem tamen post triennium non sine miraculo recepit; ejus interea vices supplente *Astrico* Episcopo Colocensi, illo triennio cæcitatis.

DOMINICUS II. ab an. 1037. ad an. 1046. sub eodem S. Rege, & sub Petro, ac Aba Regibus.

NEHEMIAS, ab an. 1048. ad an. 1077. ſub Andrea I. Bela I. Salomone, & Geyza I. Regibus.

DESIDERIUS, ab an. 1078. ad an. 1084. ſub S. Ladislao.

ACHA, ab an. 1085. ſub eodem S. Rege.

SERAPHINUS, ab an. 1089. ad an. 1104. ſub eodem, & Colomanno Regibus.

LAURENTIUS, ab an. 1105. ad an. 1118. ſub Colomanno, & Stephano II.

MARCELLUS, ab an. 1119. ſub Stephano II.

FELICIANUS, ab an. 1127. ad an. 1150. ſub Stephano II. Bela II. Geyza II.

MARTYRIUS vel *Martinus* I. ab an. 1151. ad an. 1161. ſub Geyza II.

LUCAS BÁNFFI, ab an. 1162. ad an. 1179. ſub Stephano III. Ladislao II. Stephano IV. & Bela III. obiit cum fama ſanctitatis.

NICOLAUS I. ab an. 1180. ad an. 1183. ſub Bela III. & Emerico.

JOB, ab an. 1184. fere ad an. 1204. ſub Emer. & Ladislao III. GUI-

GUILELMUS, ab an. 1204. ſub Ladislao III.

JOANNES I. Dux Meraniæ ab an. 1204. ad an. 1223. ſub Ladislao III. & Andrea II.

ROBERTUS, ab an. 1224. ad an. 1238. ſub Andrea II. & Bela IV.

MATHIAS, ab an. 1239. A. E. Strigon. Cæſus a Tartaris an. 1241. ſub Bela IV. una cum Hugrinovel Ugolino Archi-Epiſcopo Colocenſi.

STEPHANUS I. *de Vancſa*, ab an. 1242. factus Cardinalis an. 1243. & Epiſcopus Prænestinus an. 1252. ſub Bela IV.

BENEDICTUS I. ab an. 1253. ad an. 1261. ſub Bela IV.

PHILIPPUS ab an. 1262. ad an 1272. ſub Bela IV., Stephano V., & Ladislao IV.

NICOLAUS II. ab an. 1273. ad an. 1274. ſub eodem Ladislao IV.

BENEDICTUS II. ab an. 1274. ad an. 1276. ſub eodem Ladislao IV.

LODOMERIUS, ab. an. 1279. ad an. 1299. ſub eodem, & Andrea III.

GREGORIUS, ab an. 1299. ad an. 1303. sub Andrea III. & Venceslao.

MICHAEL, ab an. 1303. ad an. 1305. sub Venceslao, & Ottone Regibus.

THOMAS I. ab an. 1305. ad an. 1320. sub Ottone, & Carolo I.

BOLESLAUS, Dux Tostensis ab an. 1321. ad an. 1329. sub Carolo I.

CSANADINUS de Telegd, ab an. 1330. ad an. 1350. sub Carolo I., & Ludovico I.

NICOLAUS III. *de Monoszló*, ab an. 1351. ad an. 1366. sub Ludovico I.

THOMAS II. ab an. 1362. ad an. 1378. sub Ludovico I.

DEMETRIUS Cardinalis ab an. 1379. ad an. 1386. sub Ludovico I., & Maria, Filia Ludovici I., & Carolo II.

JOANNES II. *de Kanisa*, ab an. 1387. ad an. 1420. sub Sigismundo.

GEORGIUS I. *Comes de Hohenlohe*, ab an. 1422. ad 1423. sepultus Passavii, sub Sigismundo Rege Hungariæ, & Imper. R.

GEORGIUS II. Lépes, ab an. 1423. ad an. 1429. sub eodem Sigismundo.

THOMAS III. ab an. 1429. ad an. 1430. sub eodem Sigism. Rege. GE-

GEORGIUS III. *de Palócs*, ab an 1430. ad an. 1439. sub Sigismundo & Alberto.

DYONISIUS de Szécs, Cardinalis ab an. 1440. ad an. 1465. sub Alberto, Uladislao I., Ladislao Posthumo, & Mathia Corvino Hungariæ Regibus.

JOANNES III. *Vitézius*, Cardinalis ab an. 1465. ad an. 1472. sub Mathia Corvino.

JOANNES IV. *Alemannus*, ab an. 1473. ad an. 1476. sub Mathia Corvino. Obiit extra Regnum an. 1489. sepultus Salisburgi.

JOANNES V. *de Aragonia*, Cardinalis ab an. 1480. ad an 1488. sub Mathia Corvino.

HYPPOLITUS Estensis, Dux Ferrariæ, Card. ab an. 1487. Juvenculus 7. vel 9. annorum, præfuit usque ad an. 1497. dein Agriam translatus, obiit extra Regnum an. 1520. sepultus Ferrariæ. Vixit sub Mathia Corvino, Uladislao II. & Ludovico II.

THOMAS IV. *Bakacs*, Cardin. & Patriarcha Constantinopolitanus; ex Episcopo Agriensi factus est Archi-Episcopus

pus Strigonienſis an. 1497. Obiit an. 1520. ſepultus Strigonii; vixit ſub Mathia Corvino; Uladislao II., & Ludovico II.

GEORGIUS IV. *Szakmáry*, ab an. 1521. ad an. 1524. ſub Lud. II.

LADISLAUS Szálkán, ab an. 1524. ad an. 1526. obiit in Prælio ad Mohács cum Ludovico II. &c.

PAULUS de Várda, ab an. 1526. ad an. 1549. ſub Joanne Zápolya, & Ferdinando I. ſepultus Poſonii ad S. Martinum. Sub hoc Archi-Epiſcopo tranſiit Capitulum Strigonienſe Tyrnaviam; ubi & nunc eſt.

GEORGIUS V. *Martinuſius*, Cardinalis, ab an. 1551. ſub Ferdinando I. occiſus eodem anno in Tranſylvania, & ſepultus ibidem.

NICOLAUS IV. *Olahus*, ab an. 1553. ad an. 1568. ſub eodem Ferdinando I., & Maxim. II. ſepultus Tyrnaviæ ad S. Nicol.

ANTONIUS VERANTIUS, ab an. 1569. ad an. 1573. vixit ſub Ferdinando I, & Maximil. II. Obiit Eperjeſini. ſepultus Tyrnaviæ. Poſt obitum hujus vacavit Archi-Epiſcopatus Annis 23bus.

STE-

STEPHANUS II. *FÉHERKŐVI*, ex Episcopo Nittrienſi factus Archi-Episcopus Strigonienſis an. 1596. mortuus eodem anno, ſub Rudolpho II. Imperat.

JOANES VI. *KUTASI*, ab an. 1596. ad an. 1601. ſub Rudolpho Imper. vacavit expoſt Archi-Epiſcopatus annis 6.

FRANCISCUS C. FORGÁCS, Cardin. ab an. 1607. ad an. 1615. ſub Rudolpho II. & Mathia II. Imperatoribus.

PETRUS PÁZMÁNY, Cardin. e Soc. J. ab an. 1616. ad an. 1637. ſub Mathia, & Ferdinando II. Imperatoribus.

EMERICUS I. *LÓSI*, ab an. 1637. ad an. 1642. ſepultus Tyrnaviæ ſub Ferdinando III. Imperatore.

GEORGIUS VI. *LYPPAI*, ab an. 1642. ad an. 1666. ſepultus Poſony. Vixit ſub Ferdinando III., & IV. item ſub Leopoldo Imperatore.

GEORGIUS VII. *SZELEPCSÉNI*, ab an. 1666. ad an. 1685. ſub Leopoldo Imperatore; ſepultus in Cellis Marianis.

GEORGIUS VIII. *SZÉCSÉNI*, ab an. 1685. ad an. 1695. ſepultus Poſony ad Sanctum Martinum, ſub eodem Leopoldo Imperatore.

LEO-

LEOPOLDUS C. a KOLONICH, Cardin. ab an. 1695. ad an. 1707. ſepultus Poſony ad S. Salvatorem apud RR. PP. Soc. Jeſ.; vixit ſub Leopoldo, & Joſepho Imperatoribus.

CHRISTIANUS AUGUSTUS, Dux Saxoniæ, S. R. E. Cardinalis, & Archi-Epiſcopus Strigonienſis ab an. 1707. ad an. 1725. vixit ſub Joſepho, & Carolo VI. Imperatoribus; obiit Ratisbonæ: ſepultus Poſonii. Titulum Sacri Romani Imperii Principis in perpetuum obtinuit ſuis ſucceſſoribus a Carolo VI. Imperatore.

EMERICUS II. *e Comitibus Eſzterhàzy*, S. R. I. Princeps, & Archi-Epiſcopus Strigonienſis ab anno 1725. ad an. 1745. Obiit Poſonii die 6. Decembr. ſepultus ibidem ad Mauſoleum in Sacello in honorem S. Joannis Eleemoſynarii magnifice a ſe exſtructo. Vixit ſub Carolo VI. Imper. & Rege Hungariæ, nec non ſub Maria Thereſia Regina Hungariæ & Bohemiæ. Poſt obitum ejus vacavit Archi-Epiſcopatus Annis 5.

NI-

NICOLAUS V. *e Comitibus Csáky*, S. R. I. Princeps ab an. 1751. ad an. 1757. A. E. Strig. Obiit Posonii 31. Maji. sepultus ibidem 13. Junii. Vixit sub *Maria Theresia* Imperatrice, & Regina Hungariæ; ac ejus Augustissimo Conjuge, *Francisco I.* Rom. Imperatore.

TOT ERANT ARCHI-EPISCOPI, ET METROPOLITÆ IN SEDE STRIGONIENSI *

FEREQVE OMNES APOSTOLICÆ SEDIS A LATERE LEGATI. *

CATHALOGUS
SIVE
NOVA SERIES EPISCOPORUM AGRIENSIUM.

AB an. Christi 1010., quo S. Stephanus Castrum Agriense, seu Episcopium, ac Cathedralem Ecclesiam Agriensem, in honorem S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ, ante Portam Latinam, ut perpetua Traditione certum est, erectam cultui Divino mancipavit, *Episcopi Agrienses*, talem; uti sequitur, consequentiam habuerunt.

Primus *S. BULDUS*; qui posteaquam 35. vel 36. annis, Ecclesiam Agriensem multa cum laude gubernasset, in confusione illa horribili, & motibus intestinis, qui durarunt 8. vel 9. annos ab obitu S. Regis Stephani sub Petro, & Aba Re-

Regibus, usque ad primum annum Andreæ I. Regis, an. circiter 45, vel 6. supra millesimum a gentilibus Hungaris occisus; Martyrii coronam adeptus est.

Post obitum S. Buldi, intra spatium 60. annorum, nempe usque ad an. Christi 1105. quatuor sequentes Episcopi præerant successive Ecclesiæ Agriensi; quorum quidem mentio fit apud Historicos, quamdiu tamen sederint in Cathedra Agriensi? quo anno mortui sint? quamdiu item vacaverit sedes Agriensis post obitum singulorum? ob defectum sufficientium documentorum determinare nondum licuit; sunt autem sequentes!

CATAPRANUS; vixit sub Andrea I. & Bela I. Hungariæ Regibus.

PETRUS I. sub Salomone; Geyza I. & S. Ladislao Regibus.

PROCOPIUS, sub Colomanno Rege circa an. Christi 1102.

LAURENTIUS, sub eodem Colomanno; factus dein Archi-Episcopus Strigon. A. D. 1105.

Hos secuti sunt 3. alii, intra spatium 46. Annorum, quibus gubernarunt Ecclesiam Agriensem; utpote.

CLETUS I. vixit ſub Colomanno Rege an. 1113. & Stephano II. Hungariæ Regibus.

ANDREAS I. vixit an. 1133. & ſequentibus, ſub Bela II. Rege; & Feliciano Archi-Ep. Strigon.

MARTINUS I. aut potius, *Martyrius*. poſtquam pluribus annis in Cathedra Agrienſi præfulſiſſet, tranſiit ad Metropolitanam Strigonienſem an. Chr. 1151. ſub Geyza II. Rege.

Reliquorum Epiſcoporum Agrienſium Ordo, & Succeſſio ita habet.

LUCAS BÁNFFY, immediatus Succeſſor Martyrii ſicut in Epiſcopatu Agrienſi; ita & in Archi-Epiſcopatu Strigonienſi; vixit qua Epiſcopus Agrienſis an. 1156. & ſequentibus; factus dein Archi-Epiſcopus Strigon. an. 1161. ſcribitur fuiſſe vir magnæ ſanctitatis, & doctrinæ ſub Geyza II., & Stephano III. Hungariæ Regibus.

NICOLAUS I. vixit qua Epiſcopus Agrienſis an. 1168. ſub Luca Bánffy A. E. Strig.

PE-

PETRUS II. vixit an. 1183. imo & 1193. sub Jobo Archi-Ep. Strigon.

CATAPANUS, ut Præpositus Albensis fuit Cancellarius Aulæ an. 1193. 97. dein qua Episcopus Agriensis vixit an. 1198. 99. imo & an. 1208. sub Andrea II. Rege.

THOMAS I. vixit sub Andrea II. Rege, an. 1217. 19. &c. vivente hoc Episcopo, *Cletus* Præpositus Agriensis, fuit Vice-Cancellarius Aulæ an. 1219. 22. 24. sub eodem Andrea II. Rege; tandem succeſſit Thomæ in Episcopatu. Unde:

CLETUS II. Episcopus Agriensis sub Andrea II., & Bela IV.; attigit tempus irruptionis Tartarorum in Hungariam, quæ contigit an. 1240. & duravit annis tribus. Sub hoc Episcopo intrarunt Agriam Alumni S. Franciſci Seraphici, qui vivere deſiit an. 1226. poſtquam etiam Regnum H. perſonaliter viſitaſſet.

LAMBERTUS, an. 1243. jam legitur fuiſſe Episcopus Agriensis sub Stephano de Vancſa Archi-Episcopo Strigon. & Bela IV. Hungariæ Rege; imo vixit adhuc etiam an. 1273. sub Ladislao IV. Rege, & Nicolao II. Archi-Ep. Strig. AN-

ANDREAS II. vixit qua Episcopus Agrienſis an. 1275. 81. 91. imo & an. 1304. ſub Lodomerio Archi-Ep. Strig. Ladislao item IV., & Andrea III. Hungariæ Regibus. Andreas hic Episcopus ſcribitur; omnibus Bonis ſpoliatus, ſed iterum in integrum reſtitutus fuiſſe a Ladislao Rege, ad interpoſitionem ſummi Pontificis, & Prælatorum Regni Hungariæ.

MARTINUS II. vixit qua Episcopus Agrienſis an. 1307. imo & an. 1319. ſub Carolo I. Rege, & Thoma A. Ep. Strigon. Martinus hic Episcopus reduxit Canonicos Agrienſes ad 20. cum antea ſub Andrea II. Episcopo numerum 30. excedebant; Capellani erant ad 24. Altariſtæ ultra 60.

CSANADINUS de Thelegd, antea Canonicus Varadienſis, Præpos. S. Stephani, & Secretarius Caroli Regis; electione Canonica electus eſt a Capitulo Agrienſi in Episcopum Agrienſem an. 1323. ſub Boleslao Archi-Episcopo Strigon. cui dein etiam ſucceſſit in Archi-Episcopatu Strigon. an. 1330.

NI-

NICOLAUS II. vixit qua Episcopus Agrienſis an. 1332. imo & an. 1360. ſub Cſanadino, & altero Nicolao Archi-Episcopis Strigonien. Carolo item I. & Ludovico I. Regibus.

MICHAEL, Episcopus Agrien. vixit ſub Ludovico I. an. 1361. imo & an. 1373. ſub Thom. II. A. Ep. Strig.

EMERICUS I. ZUDÁR, illuſtris Proſapiæ Dalmata; vixit qua Episcopus Agrienſis an. 1380. & ſequentibus, ſub Demetrio A. E. Strig. & Ludovico I. Rege, a quo etiam Gubernator Roxiæ conſtitutus fuerat. Hujus Episcopi Agnatus *Petrus Zudár*, fuit Banus Croatiæ ſub Ludovico I. tandem & Judex Curiæ ſub Maria Regina, & Sigismundo Imp. & Rege Hung. Petrus hic cum Georgio Fratre ſuo fundavit Monaſterium *Ladenſe* ad Ónod, illudque PP. Paulinis contulit. Hunc inter Episcopum *Emericum*, & V. Capituſum Agrienſe illo tempore, tanta exarſerat lis, & animorum diſſenſio, ut Apoſtolicæ Sedis ſententia ſopiri debuerit.

JOANNES I. de Kaniſa, per triennium

administrato laudabiliter Episcopatu Agriensi, factus est Archi-Episcopus Strigon. an. 1387. sub Ludovico I.

STEPHANUS I. CHYKO aut *ZYKO*, vixit qua Episcopus Agriensis an. 1388. imo & an. 1397. sub Sigism. R & Joanne de Kanisa A. E. Strig.

THOMAS II. de LUDAN, cognomine: Vasslejô; vixit sub Sigismundo Rege an. 1401. quem cum offendisset, factiosis quibusdam Nobilibus adhærendo, maluit expost exul extra Patriam, quam in Patria sub irato Principe Præsul Agriensis esse; juxta illud Bonfinii D. 1. L. 10. *infensus semel Princeps, vitandus semper.* Vacante sede Agriensi, primum quidem *Stephanus de Rozgon*, unus e Baronibus Regni; post hunc autem *Styborius* quidam Polonus, Sigismundo Regi multum fidelis, & charus, ac inde etiam ad summos honores sublimatus, fuit *Gubernator Episcopatus Agriensis*; *BRICTIUS* vero Præpositus Major Capituli, *Specialis Capellanus* Sigismundi Regis.

STYBORIUS de minori SZOBOVICS, necessarius modo nominati Styborii Guberna-

na-

natoris, & Vayvodæ Tranſylvaniæ; oriundus ex Principum Familia, quæ Comitatum Trenchinienſem circa Beczkovium incolebat; per poſtulationem Capituli factus eſt Epiſcopus Agrienſis; vixit adhuc an. 1410. imo & an. 1420. qua Epiſcopus Agrienſis.

Notandum hic: quod R. P. Martinus Sentiványj e S. J. in ſuo Cathalogo Epiſcoporum Agrienſium, hic loci interſerat quempiam Epiſcopum Agrienſem *Stephanum* nomine; verum quia hujus nominis Epiſcopi poſt *Styborium*, vel vitæ, vel mortis, nullum uſquedum veſtigium repererimus, ſeu in Hiſtoricis, ſeu in authenticis documentis; hinc eo omiſſo:

PETRUS III. de ROZGON, ex Epiſcopo Veſzprimienſi æque per poſtulationem Capituli factus eſt Epiſcopus Agrienſis an. 1420. vixit adhuc an. 1425. imo & an. 1435. ſub Sigismundo Imper. & Rege Hung. Petrus hic Epiſcopus, utpote Cultor Marianus eximius, Capellam B. M. V. in Caſtro Agrienſi deſolatam, denuo erexit; ejusque Præpoſitum propriis ex acquiſitis liberaliter dotavit.

DYONISIUS de SZÉCS, vixit qua Episcopus Agriensis an. 1439. factus dein Archi-Episcopus Strigon. an. 1440. sub *Elisabetha*, Vidua Alberti Regis, & Rom. Imp. Coronavit Ladislaum V. in Regem Hungariæ, adhuc in Cunis vagientem.

SIMON de ROZGON, non obtenta insula Strigon. ex sede Veszprimiensi transiit ad Agriensem sub Uladislao I. Polono, cui favebat; interfuit pugnæ varnensi an. 1444. in qua captus est a Turcis, & in captivitate occisus. Ejus neptem habuit in Uxorem quidam *Giskra* Bohemus, potens armis, & opibus, qui partes Elisabethæ Reginæ tuebatur contra Uladislaum I. polonum. Fertur Elisaberha Regina dixisse post obitum Mariti sui Alberti Imperatoris: *me regnante, Simon de Rozgon non erit Archi-Episcopus Strigoniensis;* quo audito Simonem reposuisse: *& me in Regno existente, Elisabetha Regni gubernacula non aget;* prout & factum est; nam Uladislaus I. evocatus ex Polonia, coronatus est in Regem Hungariæ contra Elisabetham, ac ejus Filium, Ladislaum Vtum, adhuc infantem.

LA-

LADISLAUS de Hedervára, claudus, qua Episcopus Agrien. an. 1451. captus est a Bohemis, dum Joannes Corvinus infeliciter pugnasset contra Giskram ad Losonczinum; vixit adhuc an. 1464. sub Dyonisio A. E. Strigon. & Matthia Corvino; sub hoc Episcopo fuit Castellanus Castri Agrienſis, quidam *Lorandi* nomine, qui se contra Bohemos strenue defendit, eosque recedere coegit, exclusо etiam Episcopo, qui cum Bohemis advenerat, ut arcem Giskræ traderet in sui redemptionem.

JOANES II. *Alemannus*, primum Varadiensis; dein Agrienſis Episcopus; vixit an. 1468. imo & an. 1471. qua Episcopus Agrienſis sub Archi-Episcopo Strigon. Joanne Vitéz, cui etiam succeſſit in Archi-Episcopatu, an. 1473. sub Matthia Corvino.

GABRIEL I. RANGONIUS, ex Ord. S. Franc. Seraph. factus est Episcopus Agrienſis an. 1474. sub Matthia Corvino; dein etiam Cardinalis S. R. E. vixit adhuc an. 1478. imo & 1486. Propter hunc Gabrielem scribitur *Joannes*

Alemannus Archi-Episcopatum Strigon. deseruisse an. 1476. & se cum omnibus suis Clenodiis, & Thesauris in Germaniam recepisse, propterea, quod oculi ejus (ut ipse ajebat) ferre non poterant pulverem, quem unus caudatus Monachus (intelligebat Gabrielem) suo syrmate exsuscitabat in Regno. De hoc pariter Gabriele (propter ejus continuam fere absentiam a sua Diœcesi) dicebatur illo tempore: *Gabriel Antistes, non curat Clere! ubi stes?* Interea temporis Proventus Episcopales administrabat quidam *Philippus* Germanus, vel Italus, a Gabriele constitutus Bonorum, & Proventuum Episcopalium Plenipotentiarius.

URBANUS DÓCZY, de Nagy Luche; vixit qua jam Episcopus Agriensis an. 1489. fuit sub duobus Regibus in summo honore, & existimatione; summis etenim dignitatibus perfungebatur: erat utpote Coronæ Custos; Personalis Præsentiæ Regiæ in Judiciis Locumtenens; Cameræ Regiæ Præfectus; iteratis vicibus Locumtenens Regius; imo, ut putant alii, plane Palatinus Regni; Episcopatus Viennensis

in

in Austria Administrator sub *Matthia Corvino*, cui tam acceptus erat, & adeo æstimatus ab Eodem, ut sapientissimus hic, & maximi Judicii Princeps, loquens de Urbano suo Episcopo, in hæc, aut similia verba erumpere non sit dedignatus teste Bonf. D. 4. L. 5. *Universa Hungaria centum fortasse annis talem virum non genuit!* obiit magnanimus hic, & munificus; in utilitates Regis, & Regni procurandas propensissimus juxta, ac solertissimus; in vestitu corporis modestissimus Ecclesiæ Præsul, & Pastor vigilantissimus an. D. 1492. sub Uladislao II. Bohemo, quem sicut ipse in Regem Hungariæ elegit ante alios in Comitiis Budæ habitis, ita & coronavit Albæ an. 1490. Uberiores ejus laudes, & encomia legi possunt apud Bonfinium Dec. 1. L. 1. prope initium. Floruit sub Archi-Episcopo Strigon. Joanne de Aragonia, & Hyppolito Estiensi; specialis Benefactor V. Capituli Agriensis.

THOMAS III. *BAKOCS*, *vel BAKACS ab ERDÓD;* prius Zagrabiensis; dein Jaurinensis Episcopus, & Cancellarius Aulæ, nec non Coronæ Custos; tandem

dem ex Episcopo Agriensi an. 1497. factus est Archi-Episcopus Strigon. in locum Hyppoliti Estiensis Cardinalis; qui cedens Archi-Episcopatui, pluribus annis contentus vixit Episcopatu Agriensi; donec & hunc resignasset, & se in Italiam recepisset, ubi & mortuus est an. 1520. plurium Coronatorum Principum Consanguineus. Eodem an. e humanis ereptus est *Thomas Bakacs* Cardinalis. Archi-Episcopus Strigon. Primas Regni Hung. Legatus natus, & Patriarcha Constantinopol. Hoc Præsule majorem Hungaria ad illud tempus ex Gente Hungara non vidit. Floruit sub tribus Regibus, Matthia Corvino, Uladislao II. & Ludovico II.. qui ad Mohács cecidit. Fundavit, aut elevavit 3. Nobilissimas Familias in Regno in summam utilitatem, & ornamentum Reipublicæ Hungaricæ: Erdödianam, Pálffianam, & Bakacsianam; quarum duæ præsertim priores, vivente adhuc ipsomet Illustrissimo, & Celsissimo Fundatore, adeo idoneos, & excellentes viros protulerunt, ut ad prima in Regno subsellia poni. & sublimari, digni judicati

ti sint. Ex his erant, *Franciscus Bakacs*, primum Præp. Budensis; dein Episcopus Jaurinensis, Germanus Frater Thomæ Cardinalis, ejusdemque surrogatus Coronæ Custos; Révaj. in Com. de Corona Hung. *Joannes* item, & *Simon Erdódi*; ambo successive ejusdem Ecclesiæ Zagrabiensis Episcopi; quorum posterior etiam conflictui ad Mohács interfuit cum Fratre suo Germano Petro I. ab Erdód; inde feliciter evadens, *Joanni* expost *Regi* cum multis aliis Regni Civibus, & Nobilibus constanter adhæsit, tanquam Principi, ut putabat, legitime electo, & coronato. *Petrus* denique *Pálffy* ab Erdód, Possessor Dominii Csábrágh, teste Istvánfio L. 16. ad an. 1548. Nepos ex Sorore Simonis Episcopi Zagrabiensis, Pronepos vero Thomæ Cardinalis. *Thomas hic Bakacsius* Cladem Mohácsianam sex annis prævertit sua morte; quam, si vixisset, suo grandi, & probato judicio, Consiliorumque sagacitate, forte a Regis, & Regni cervicibus amolitus fuisset. Sed quod maxime facit ad immortalem gloriam, perennemque famam, & existimationem

Tho-

Thomæ Cardinalis, illud eſt: quod parum abfuerit, quin Pontificatum Romanum *Leoni Xmo.* præripuerit. Tanta inerat vis, & copia meritorum, prudentiæ, ſapientiæ, & authoritatis in Thoma Bakacſio! tanta fuit ſpes de ipſo, & opinio totius orbis Chriſtiani! Ven. Capitulum Agrienſe perpetuam gerit illius Memoriam, tanquam Prælati ſui condam ſpecialiter benefici.

HYPPOLITUS ESTIENSIS, poſt reſignatum Archi-Epiſcopatum Strigon. & acceptatam Cathedram agrienſem, quandoquidem ut plurimum extra Regnum moraretur, ejus Vices in ſpiritualibus agebat per totam Diæceſim Agrienſem *Stephanus de Vája*, Epiſcopus Nicomedienſis.

LADISLAUS ZALKÁNUS, ſucceſſit Hyppolito Eſtienſi in Epiſcopatu agrienſi; factus dein Archi-Epiſcopus Strigan. 1524. obiit vero in Clade Mohacſienſi cum Ludovico II. Rege, ac multis aliis Prælatis, & Proceribus Regni an. 1526.

PAULUS de Várda, immediatus Succeſſor Zálkáni in Epiſcopatu Agrienſi,

cum

cum ſolus fere ex Prælatis cum Simone ab Erdôd Epiſcopo Zagrabienſi furorem Barbarorum evaſiſſet, Budæ commoratus in Negotio Regis, a ſuperveniente Joanne de Zápolya, Vayvoda Tranſylvanienſi, Coronam Regni Hungariæ avidiſſime prenſante, electus eſt in Archi-Epiſcopum Strigon. Duos ſucceſſive coronavit Reges; Joannem primum an. 1526. dein Ferdinandum, Auſtriæ Archi-Ducem, Albæ an. 1527. poſtquam hic & Turcam, & omnes Aſſeclas Joannis victricibus armis ultra Danubium pepuliſſet. Expoſt ſemper Ferdinando adhæſit, cui fuit chariſſimus & confidentiſſimus; Solymanno tamen ad oppugnandam Viennam Auſtriæ Metropolim properanti, an. 1529. comitivam dare debuit; unde pulſo Hoſte ſalvus evadens, obiit tandem an. 1549, die 12. Octobris. Sepultus Poſonii, ut in Cathalogo A. E. Strig. exponitur. Aulam adeo cultam, & moratam ſervaſſe ſcribitur, ut dum Ungari illo tempore Juvenem aliquem petulcum, levem, aut alias ſe indecore gerentem carpere volebant, dicere ſoliti ſint: *non fuit iſte in*

Au-

Aula Pauli Archi-Episcopi. Quod diver bium apud Vngaros usque nunc locum habet.

Advertendum hic, quod R. P. Martinus Szentiványi e S. J. alias satis oculatus, & diligens Chronologus Ungariæ, hic iterum interserat 3. Successores Pauli de Várda, quos autumat fuisse Episcopos Agrienses, utpote: Julium Medices; Simonem ab Erdöd; & Antonium Grittum. Verum quia *Thomas Szalaházy*, Cancellarius Ferdinandi I. jam in an. 1528. legatur fuisse Episcopus agrienſis; hinc incredibile videtur, intra spatium duorum annorum 3. illos Episcopos successive præfuisse Ecclesiæ Agrienſi. Certum præterea est: Simonem Erdödy an. 1543. vel 44. qua Episcopum Zagrabiensem e humanis excessisse. Hinc concludimus, illos 3. prænarratos viros; vel nunquam fuisse Episcopos Agriæ; vel si fuerant denominati per Joannem Regem, ad Possessorium tamen Episcopatus Agrienſis nunquam deveniſſe. Paulo itaque Vardano succeſſit in Cathedra Agrienſi.

THO-

THOMAS IV. SZALAHÁZT, Cancellarius Aulæ Ferdinandææ, qui obiit an. 1539. ut Patri Timon e S. J. videtur.

FRANCISCUS I. de FRANGEPAN, ex Ord FF. Minorum; confirmatus 30. May. an. 1539. videtur ex Archi-Episcopatu Colocensi ad Episcopatum Agriensem transiisse, aut utrumque simul tenuisse; ut ex Cathalogis Szentivanianis colligitur.

NICOLAUS III. OLAHUS, Cibinii in Transylvania natus, alias ex Valachiæ Principum Familia oriundus, post plures Insulas in Regno gestas, ex Episcopo Zagrabiensi factus est Episcopus Agriensis, an. 1548. die 12. Decembr. sub Ferdinando I. Hung. Rege; ad sedem Metropolitanam evectus est an. 1553. vivere desiit an. 1568. sepultus Tyrnaviæ. Sub hoc Episcopo oppugnata est Agria a numerosissimo Turcarum exercitu an. 1552. Duce Achomate Vezirio: attamen virtute *Stephani Dobonis*, & Stephani Mecskej Capitaneorum, reliquorumque, tametsi respective paucorum Præsidiariorum, inter quos *Amazones* quoque Agri-

enſes cum nuptæ, tum Virgines connumerari ſolent, non levi cum dedecore, & jactura ſuorum recedere coactus eſt Hoſtis, teſte Iſtvánfio L. 18. Huic tandem Epiſcopo reſignavit *Petrus Perènius* Bona Epiſcopatus Agrienſis, volente, & modis omnibus cooperante Ferdinando I. Imper: & Rege Hung. quæ ille ab an. 1526. ad annum uſque 1548. per vim, & iniquo jure poſſedit.

FRANCISCUS II. de Uylak, ex Jaurinenſi Epiſcopo factus eſt Agrienſis an. 1554. die 3. Aug. dein Locumtenens Regius; obiit Poſonii die 1. Febr. an. 1555. ſepultus ibidem.

ANTONIUS VERANTIUS, Dalmata Sibinicenſis, ex Epiſcopo Quinque-Eccleſienſi denominatus eſt in Epiſcopum Agrienſem an. 1557. confirmatus a Rom. Sede an. 1560. factus Archi-Epiſcopus Strig. an. 1568. Obiit Eperjeſini in munere Locumtenentiali an. 1573. ſepultus Tyrnaviæ ad S. Nicolaum. Celebratur a Litteris, & ab eloquentia, qua erat cultiſſimus, & a duplici Legatione ad Portam Ottomannicam juſſu Ferdinandi I. &

Ma-

Maximiliani II. Imperatorum feliciter confecta.

SIEPHANUS II. RADETIUS, Cybinio ex Transylvania oriundus, Nicolao Olaho ob singularem eius eruditionem, & industriam charissimus, ex Episcopo Varadiensi factus est Agriensis an. 1568. Fuit Locumtenens Regius post Verantium; & Cameræ Præses; quo in munere etiam obiit Posonii an. 1586. Ejus continua fere absentia a sua sede Agriensi effecit, ut sensim sine sensu, clam, & occulte non pauci ex Calvini Asseclis, sub Larva Angeli Lucis irrepserint in Civitatem Agriensem; qui tandem in apertam erumpentes seditionem, coniventia Casparis Magócsi, Præsidii Agriensis Capitanei anno 1580. Sabbatho infra 8vam Corporis Christi, Parochialem Ecclesiam S. Michaelis Archangeli jam pro tunc dispositione Radetii Episcopi, & Privilegio Rudolphi Imperatoris pro *Cathedrali* deputatam, ac per V. Capitulum Agriense non modicis sumptibus restauratam, vi, & potentia mediante, occupare non sunt veriti, ejectis inde Aris, & Sancto-

rum Imaginibus; illo se colorato Titulo clamorose defendentes; sibi utpote Incolis Loci competere Jus Patronatus in Ecclesiam Parochialem.

Duravit hoc ingens dissidium, & contentio Catholicos inter, & Calvinistas usque ad an. 1596. quo tandem an. Mustapha, seu Mahomet 3. Turcarum Imperator (fors ab ipsismet Calvinistis evocatus) cum 200. suorum millibus, Constantinopoli adveniens, recta tetendit Agriam, eamque sede Agriensi vacante, paucos intra dies, seu ignavia, seu impotentia Præsidiariorum, deditione cæpit. Hac occasione Turca, omnia Templa Civitatis pro se occupavit, suæque Sectæ propriis Ritibus consecravit, ejectis ex Urbe omnibus Incolis non modo Catholicis, sed & acatholicis, qui Mahometi jurare recusarunt; solis paucis quibusdam Rascianis græci Ritus Divinorum Exercitio admisso in extima parte Civitatis occidentem versus in Ecclesiola S. Nicolai; in qua hi usque nunc ejusdem Græci Ritus officia peragunt ex speciali indultu, & Concessione Leopoldi I. Imperatoris.

II.

Illud hic obſervandum circa Raſcianos Agrienſes; quod poſteaquam modo fati glorioſiſſimi Imperatoris victricibus Armis *Agria*, Ducibus, Stephano Kohário, & Franciſco Barkóczio Comitibus, Civitatem, & Præſidium Agrienſe ſtrenue obſidentibus, & ad deditionem cogentibus, an. 1687. e manibus Turcarum erepta fuiſſet, eotum ſtatim omnia Templa per Turcam poſſeſſa, ſolis iterum Catholicis, tanquam legitimis eorum, & antiquis Poſſeſſoribus reſtituta ſint, excluſis quibusvis aliis Religioni Catholicæ non addictis. Unde liquet; ſed & facto ipſorum comprobatum eſt (nam Popæ ipſorum primis illis recuperationis annis, Proceſſionem Theophoricam Catholicorum, ſacris veſtibus induti comitari ſolebant) modernos *Schiſmaticos* Raſcianos Agrienſes eotum adhuc uſque ad an. præter propter 1715. & 16tum cum Sancta Romana Eccleſia Unionem coluiſſe; conſequenter ab eo ſolum tempore per quosdam vagabundos emiſſarios Popas Schiſmaticos, vel ex Græcia, vel aliunde Agriam clam ſubingreſſos ad relapſum ad

Schisma Photianum inductos esse; quorum defacto jam numerum novæ in dies ex Græcia, Albania, Macedonia, &c. succedentes Coloniæ Mercatorum, non modicum augent, & sustentant cum præjudicio Religionis Catholicæ, & Jurium Ecclesiæ Agriensis manifesto. Sed ut iterum ad ordinem Episcoporum Agriensium redeamus.

Interea temporis, quo Turca Agriam 90. & uno annis possedit, *Episcopi Agrienses* commorabantur jam Viennæ, jam Tyrnaviæ, jam Jaszoviæ, jam Cassoviæ. (idem esto judicium de Capitulo Agriensi) usque ad Episcopum *Fenesium*, cui quidem Agria a Clementissimo Imperatore, & Rege Hungariæ Apostolico, *Leopoldo Magno* restituta est; ipse tamen Jaszoviæ præmortuus, Agriam redeundi felicitatem successori suo, *Stephano Telekesio* reliquit; ut inferius dicetur.

STEPHANUS III. SZUHAY, ex Episcopo Vaciensi factus est Agriensis an. 1600. vixit adhuc an. 1601. & 1602. ut liquet ex art. 34. an. 1601. & 23. 1602. in Corpore Juris Hung. contentis. Post

obi-

obitum Szuhay, vacavit Episcopatus Agriensis multis annis, Turca, & Hæresi omnia in Regno vel occupante, vel permiscente. Interea tamen temporis Titulum Episcopi Agriensis ferebat.

JOANNES III. COMES ERDÓDI, de Monyorókerék, Thomæ Bani Filius; Academiæ Ingolstadiensis Rector Magnificus; in flore ætatis defunctus.

JOANNES IV. PYBER, ex Episcopo Varadiensi electus est in Episcopum Agriensem an. 1625. obiit vero an. 1634.

EMERICUS II. LÓSY, ex Episcopo Varadiensi factus est Agriensis an. 1635. dein Archi-Episcopus Strigon. 1637. obiit Tyrnaviæ an. 1642.

GEORGIUS LIPPAY, ab a. 1637. fuit Episcopus Agriensis, & Cancellarius Aulæ; factus dein Archi-Episcopus Strigon. an. 1642. obiit an. 1666. sepultus Posonii ad S. Martinum.

GEORGIUS II. JAKUSICS de Orbova, ex Episcopo Veszprimiensi factus est Agriensis an. 1646. 18. Sept. adhuc qua Episcopus Veszprimiensis (ut patet ex art. 39. an. 1638.) constitutus erat pro

Capite Legationis ad Rempublicam Polonam ratione Arcis Lublyó, & 13. Oppidorum a Sigismundo Rege, & Imperatore olim impignoratorum. Ex hujus Genere quidam *Demetrius Jakuſics* olim in conſpectu Copiarum Uladislai II. Hungariæ; & Alberti Poloniæ Regum Æmulum ſuum leonina fortitudine invaſit, ſtravit, ſuperavit.

BENEDICTUS KISDY, ex Epiſcopo Varadien. factus eſt Agrienſis: confirmatus 8. Apr. 1652, Obiit Caſſoviæ a. 1660. 22. Jun. Fundavit Academiam Caſſovienſ.

THOMAS IV. COMES PALFY, *ab Erdód*, antea Epiſcopus Vacienſis; an. 1662. jam fuit Epiſcopus Agrienſis. Obiit Viennæ an. 1679. qua Epiſcopus Nittrienſis, & Cancellarius Aulæ.

FRANCISCUS LEONARDUS SZEGEDY, antea Tranſylvanienſis, & Vacien. tandem factus eſt Agrienſis Epiſcopus an. 1672. 21. Martii. Obiit a. 1675. 12. Sept.

GEORGIUS III. BÁRSON, ex Epiſcopo Varadin. factus eſt Agrienſis an. 1675. Obiit in Scepuſio an. 1678. 18. Januarii.

FER-

FERDINANDUS COM. PALFFY, ab Erdód, ex Episcopo Csanadiensi factus est Agriensis An. 1678. die 27. Sept. Obiit Cassoviæ An. 1680. sepultus ad Ecclesiam RR. PP. Soc. J. Fundavit Scholas, seu Athenæum Tyrnaviense.

PETRUS III. KOROMPAY, ex Episcopo Vaciensi factus est Agriensis Anno 1682. die 20. Aprilis; dein Nittriensis, & Cancellarius Aulæ. Vixit adhuc An. 1687. Ejus successor *Jacobus Haskó* Episcopatum Nittriensem raro exemplo sponte resignavit An. 1689. ut annotavit P. Martinus Szentiványi e S. J. in suo Cathalogo Episcoporum Nittriensium.

GEORGIUS IV. FENESY, primus post recuperatam a Turcis Agriam factus est ex Episcopo Csanadiensi, Episcopus Agriensis Anno 1687. confirmatus 12. Maji ejusdem Anni. Hunc pientissimus Imperator, & Rex Hungariæ Apostolicus, Leopoldus Magnus, iterum restituit in integrum, una cum Capitulo suo Agriensi (quod pariter durante ferme 100. annorum exilio, jam Viennæ; jam Tyrnaviæ; jam Jassoviæ; jam Cas-

soviæ extra Sedem suam peregrinabatur) resignatis eidem tum in Re, tum in Jure omnibus Bonis, & appertinentiis, quæ ad Ecclesiam Agriensem de Jure, & ab antiquo quomodocunque spectarent. Unde jure merito exclamare potuit *Georgius* hic Episcopus ante suum ex hac vita discessum, cum sene illo Simeone Sacerdote: *nunc dimittis servum tuum Domine! secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum!* id est: Ecclesiam Agriensem, & Religionem Catholicam in Hungaria iterum ad suum florem redeuntem. Obiit Fenesius Jaszoviæ Anno 1699. die 5. Mart. sepultus ibidem in Ecclesia S. Joannis Baptistæ, quam nunc possident RR. PP. Præmonstratenses, alias Canonici Regulares S. Norberti. Colossius Marianus stans in Foro Academico Tyrnaviæ Georgium Fenesium pro suo Patrono agnoscit.

STEPHANUS IV. TELEKESY, immediatus successor prioris; antea Canonicus, & Vicarius Gen. Jaurinen. tandem ex Episcopo Csanadiensi factus est Agriensis; intravit Agriam Anno 1699. in Festo

ſtó SS. Simonis, & Judæ Apoſt. 28. Oct. Difficilibus admodum temporibus, ſub motibus utpote Franciſco - Rákóczianis ſapientiſſime rexit, & cuſtodivit ſponſam ſuam, Eccleſiam Agrienſem, ne ab imminentibus lupis ovile Chriſti perſequentibus ultimam iterum ruinam pateretur; natus eſt Anno 1633. die 20. Aug. ut ſua ipſius manu ſcripta demonſtrant; ſecundas Primitias celebravit in Arce Szarvaskó prope Agriam Anno 1710. die 6. Maji. Obiit pius, juſtus, humilis, caſtus, prout vixit, Anno 1715. die III. Martii, ſepultus Agriæ in Cathedrali, & Parochiali Eccleſia S. Mich. Arch. quam ipſe e fundamentis eduxit, licet eandem ejus ſucceſſor in quibusdam reformaverit, & auguſtiorem reddiderit. Fuit Telekeſius omnium judicio, & aſſenſu Præſul munificentiſſimus; opum hujus mundi, quas multorum annorum pia, & provida parſimonia collegerat, diſpenſator prudentiſſimus; Fundator utpote Seminarii Clericorum Agrienſium, & Convictorum; ac aliorum quam plurimorum Bonorum operum, & piarum Fundationum

num Institutor, cujus munificentia, & liberalitate usque nunc non pauci egentes in, & extra Agriam sublevantur.

GABRIEL ANTONIUS COMES ERDÓDT de Monyorokerék; natus est An. 1684. die 27. Sept. ex Illustrissimis Genitoribus, utpote: Comite *Christophoro Erdódy* Cameræ Præside, a Justitia, & probitate commendatissimo (cui & in senili ætate solemne fuit ministrare ad aras Sacerdotibus Rem Divinam operantibus(& *Maria Susanna Pálffia*, duorum exposit Pro-Regum R. H. Nicolai, & Joannis Pálffy sorore. Absolutis Tyrnaviæ ac Romæ studiis, Sereniſſimo Saxoniæ Duci, & Archi-Episcopo Strigonienſi *Christiano Augusto*, fuit acceptissimus; quin & Augustissimo Imperatori, & Regi Hungariæ *Carolo VI.* cujus peculiari Cæsareo-Regia clementia, ex Præposito Majore Strigonienſi, factus est *Coadjutor* Stephani Telekesy Episcopi Agrienſis, ac tandem non diu post ejusdem in Episcopatu Successor An. 1715. ab eo tempore summa cum laude rexit Ecclesiam Agrienſem usque ad An. 1744. quo tandem an-

no,

no, communi omnium naturæ fato ſuccumbens, pientiſſime obdormivit in Domino Agriæ die 26. Sept. in Pervigilio Diei ſui Natalis, in diem *Sabbathi* incidente; quod ipſum ex ſpeciali Divini Numinis favore, & diſpoſitione factum fuiſſe non ambigimus; cum & ipſe diem hanc SSmæ Dei Genitrici peculiariter ſacram, peculiaribus pariter pietatis operibus, tota vita ſua celebrare, & ſanctificare conſveverit; quorum pauca hic referre non erit forte contra, aut præter rationem compendii, aut inſtituti noſtri.

Obſervatione proinde dignum eſt, quod ſingulis quidem aliis diebus per annum quinque pauperes aluerit, & lauto prandio exceperit in Aula ſua; diebus autem Sabbathi tredecim; quibus ille ipſe panem, & vinum, & fercula, & pecuniam ſuis manibus diſtribuebat, dum per labores, vel ſanitatem licuit; cum non modica tum admiratione, tum ædificatione adſtantium, qui exemplo tanti viri allecti, etiam ex majoris notæ hoſpitibus, qui aderant, operam ſuam in miniſtrando iisdem pauperibus conferre non

re-

recusarunt. Ipse interim jejunus, & abstinens ab omni cibo, & potu omni die Sabbathi, ac Pro-Festis Beatissimæ Matris.

Statuam ejusdem *Magnæ Dominæ* lapideam, sed injuria temporum vitiatam, renovari, ac supra portam Curiæ suæ Episcopalis Agriæ poni curavit, additis sex hinc, & inde lampadibus, quæ omni die Sabbathi, & Festis B. V. lucere debebant. Ad hanc statuam modo dictis diebus non raro ipsemet, rochetto, & stola indutus, Litanias Lauretanas cum Musicis, & Clericis adstantibus decantabat. Corollam, seu Rosarium honoribus Marianis dicatum nullo unquam die intermisit; idem est de Missæ Sacrificio, & Horis Canonicis, a quibus absolvendis nullæ ipsum quantumvis laboriosæ occupationes, aut itineris molestiæ retardare potuerunt.

In omnibus quidem pietatis operibus exercendis specialem gustum, & instinctum habere visus est, sed vel maxime in conversione animarum, quas velut Magnes ferrum, ad se trahebat. Si quem, etsi miserum, & pauperem homuncionem,

in-

inaudiit ex quacunque secta ad Sacra Romana accessurum, voluit sibi eum prius præsentari, tum ut eum in bene cæptis confirmaret; tum ut ad alios plures sibi similes adducendos adhortaretur. Quorum ipse Professionem excepit (excepit autem quam plurimorum) eos insimul, tametsi ignobiles, & pauperes, mensæ suæ Episcopali adhibuit; additis exposit vel novis vestibus, vel aliis donariis quotidiano victui necessariis; atque sic eos lachrymantes præ gaudio, Divinumque Numen magna voce collaudantes, domum remisit. Pravos mores, & quæcunque peregrina dogmata; quæ vel maxime saluti animarum obesse sciebat; ex animo, & acerrime persequebatur; pro his evellendis, aut impediendis, & se, & omnia sua libenter impendit. Cum Hæreticis, eorumque Fautoribus nunquam non ei bellum fuit, quos ille pro hostibus Dei, & Ecclesiæ, & ovium suarum reputabat. Inde tantus numerus Proselytorum, seu Convertitarum in Diœcesi, ut numerari vix potuerint; qui nimirum tam soliciti Pastoris,

ar-

ardentem zelum æstimare incipientes, veritati fidei Catholicæ libenter manus dabant. Laboribus adeo fuit addictus, & asuetus, ut sæpe dixerit: *empturum se pecunia tempus ab otiosis, si posset.*

Sed nec illud fidem superat, quod addimus: plus eum una die non raro, etiam de rebus gravissimis, ac publicum Regni Statum concernentibus, manu propria ad chartam congessisse, quam per alium tanto tempore legi, aut ad purum describi potuisse; tanta pollebat facilitate, & concipiendi, & scribendi! negotium si quod semel tractandum suscepit, tamdiu non dimisit, donec ad optatum finem non perduxerit; dictus exinde: *Potens opere & sermone, & infatigabilis in labore.*

Ad præstandam suam Episcopalem operam in Benedictionibus Abbatum, Præpositorum, &c. præsertim extraneorum, quanto facilior, tanto etiam fuit difficilior in acceptando vel minimo munere pro suis fatigiis; quin omnem suam quoque Familiam in antecessum severissime obstrinxit: ut ne quid vel sponte oblatum, occasione similium Benedictionum

ac-

acceptaret, nisi in disgratiam apud se cadere velit. Atque hinc ei nomen gratiosi, benigni, & disinterressati Episcopi adhæsit. Scripturæ Sacræ oraculis, & SS. Patrum eruditis Dictis, ac Sententiis, quæ cum ad enucleandam, tum ad firmandam, persuadendamque veritatem plurimum conferunt, adeo delectabatur, ut nullam fere Epistolam exaraverit manu propria, quam ejusmodi spirituali aromate non condierit. Quæ omnia quod ita, ut præmissum est, facta sint, & se habuerint, nos ipsimet, qui hæc scribimus, plurium annorum experientia edocti, testimonium perhibere possumus; & scimus, quia verum est testimonium nostrum.

Verum enim vero ne brevitatis obliti, longius isthic, quam *Cathalogi* ratio, & natura exigit, ac admittit, excurramus, ad immortalem gloriam, famam, perennemque tanti Præsulis memoriam conservandam, sufficiat illud retulisse; quod jam alias alii gravissimi, iique sapientissimi Viri recognoverunt; imo tota, qua late patet, Hungaria, usque nunc loqui-

 tur,

tur, & deprædicat: Gabrielem Antistitem Agriensem fuisse *Magnum in Ecclesia. Magnum in aula Regia; Magnum in Patria*; aut vero illud, quod ii, qui eum penitius noverunt, & cum eo conversati sunt, de eo adhuc vivente dicere solebant: *Comitem Gabrielem Erdódy Episcopum Agriensem, esse* (jam nunc fuisse) *vivum, & redivivum Ectypon suorum Prædecessorum Episcoporum Agriensium*; sed vel maxime *URBANI DÓCZY de Luche*; & *THOMÆ BAKACS ab Erdód*, Excelsæ Familiæ Erdódianæ Protho-Parentis; quorum ille omnes fere exquisitissimas virtutes; omnes præclaras animi, corporisque dotes in se uno collegisse, ac ad vivum expressisse censebatur. Tantus ergo, & talis cum fuerit *Gabriel Episcopus Agriensis*; quem ætate nostra amisimus, dignum omnino est, ut quem amplius e mortuali sepulchro revocare non possumus, ejus adminus manibus bene precemur, & dicamus uno ore omnes:

GABRIEL DE ERDÓD REQVIESCAT
IN PACE! *

FRAN-

FRANCISCUS SERAPHICUS, e *Comitibus BARKÓCZY de Szala*, Perpetuus in Pálócz, & Tavarna; olim Canonicus, & Parochus Agrienſis; ſubinde Præpoſitus Scepuſienſis; Anno eodem, quo Prædeceſſor ejus deceſſit, 1744. die 8. Decembr. denominatus eſt in Epiſcopum Agrienſem Viennæ per modo glorioſe regnantem Auguſtiſſimam Imperatricem, & Reginam Hungar. MARIAM THERESIAM, Dominam noſtram Clementiſſimam. Ingreſſum ſuum in Epiſcopalem ſuam Civitatem Agrienſem ſervavit juxta præſcriptum Cæremonialis Epiſcopalis Anno 1745. die 29. Junii; id eſt: in Feſto SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli. Ab eo tempore, quanta cura, & ſolicitudine? quam paterne regat Diœceſim ſuam? quantis eam repleat, & illuſtret beneficiis? non eſt hujus vel temporis, vel inſtituti, vel virium noſtrarum, ut ea omnia rudi Minerva depingamus; tacebimus itaque quam plurima, *ne in alterutram partem aut adulatio in nobis reprehendatur, aut veritas;* ſunt verba S. Hyeronimi de S. Ambroſio loquentis.

Trium tamen ejus insignium operum, quæ usque adhuc cum immortali nominis sui gloria operatus est, & propter quæ totam posteritatem in admirationem rapturus est, hic non meminisse non possumus.

Primum est:

VISITATIO: ET LEGES PASTORALES POST EAM CLERO DATÆ. *

Alterum est:

SCHOLA EPISCOPALIS AGRIENSIS; THEOLOGICA; PHYLOSOPHICA; ET SCHOLA MATHESEOS. *

Tertium est:

CONGREGATIO DE VENERABILI SACRAMENTO. *

Primum perfecit Sua EXCELLENTIA Anno 1748. & 49. majorem partem suæ Diœcesis magnis cum fatigiis perso-

na-

naliter visitando, & illustrando. Alterum instituit, & magnifico cum apparatu introduxit in Episcopalem suam Civitatem Agriensem Anno 1754. in Festo S. Emerici Hungariæ Ducis. Tertium addidit Anno proxime elapso 1757. eadem die S. Emerico sacra; atque sic omnium Fidelium mentes ad præstandum debitum cultum, & venerationem tanto Sacramento dignam, hoc uno opere efficaciter accendit. Ob quæ, & alia prorsus magnifica, ac summe utilia, & salutaria tum sapientiæ, tum singularis in Deum, in Ecclesiam, in Publicum, in profectum suarum ovium pietatis, & providentiæ argumenta:

DECET OMNINO EI VLTRO
PRECARI; *

VT ANNOS MEI CHISE DECHI
ATTINGAT. *

ADDENDA
PRO FINE, ET CONCLVSIONE OPERIS. *

AB EXORDIO REGNI HUNGARIÆ,

Adeoque ab An. Chr. 1000mo, ad præsentem usque annum 1758vum numerantur:

REGES *HUNGARIÆ*, cum Joanne de Zapolya. - - 48.
PALATINI Reg. Hung. 93. aut ad summum - - - 95.
PRO-PALATINI - - 4.
JUDICES CURIÆ REGIÆ 81.
BANI CROATIÆ, DALM. & SCLAVONIÆ, alii erant sub propriis Regibus; alii sub Regibus *Hungariæ*; alii ante; alii post Cladem Mohácsianam, jam plures, jam pauciores eodem tempore; us-

uſque ad noſtram ætatem; Hinc eorum numerus ex Cathalogo ſuperius dato eruendus erit.

PRIMATES REGNI HUNG. ſeu *ARCHI-EPISCOPI STRIG.* - 61.

CARDINALES S. ROM. ECCLESIÆ - - - 26.

EPISCOPI AGRIENSES 58.

FAMILIÆ COMITUM ſub Corona Regni Hung. defacto ſunt. Num. 57.

Et quidem Ordine Aiphabetico ſequentes:

Apponyi. Balaſſa. Bánffy. Barkóczy. Battyánj. Berényi. Bethlen. Brankovics. Cſáky. Czapáry. Cziráky. Czobor. Deſöffy. Draskovics. Erdödi. Eſzterházy. Forgács. Graſſalkovics. Gyulaffy. Gyulay. Haller. Illésházy. Károly. Keglevics. Kemény. Kéry. Klobuſiczky. Kohári. Kollónich. Kornis. Nádaſdy. Nyáry. Orſics. Pálffy. Patachics. Pethö. Perényj. Pongrácz. Rátkaj. Révaj. Schmidég. Serény. Sermage. Szentiványi. Szécſény. Szeredy. Székely. Szirmay. Szluha. Sztáray. Szúnyogh. Teleky. Toldalaghi de Nagy-Ercſe. Tolvay. Újfaluſi de Dévek-Újfalu. Viczay. Zichy.

FAMILIÆ BARONUM numerantur - - - - 58.

Utpote: Amade. Andrásy. Babocsay. Balassa. Bánffy. Barkóczy. Bossányi. Chiolich. Cserkicz. Desöffy. Dóry. Fischer. Gylány. Gombos. Haller. Henter. Horeczky. Horváth. Hunyady. Jászy. Jeszenszky. Joanelli. Josika. Kemény. Korda de Boros-Jenö. Lusinszky. Lázár. Majtény. Malakóczy. Mednyánszky. Meskó. Neffzern. Orczy. Palocsay. Perény. Péterffy. Piacsevich. Pongrácz. Rátkaj. Révaj. Roszberg. Ruttkay. Sándor. Sennyey. Sigray. Siskovics. Splény. Szentiványi. Szent-Keresztyi. Sz. Miklósy. Újfalusy. Újváry. Vojnovich. Vécsei. Veselény. Vajay. Vajnovics. Zay.

COMITATUS in Regno Hung. & Partibus eidem adnexis sunt. - 48.

Utpote: Aba-Újvarienſis. Albenſis. Aradienſis. Arvenſis. Bacſienſis. Barſienſis. Baranienſis. Békeſienſis. Bereghienſis. Biharienſis. Bodrogienſis. Borſodienſis. Caſtri-Ferrei. Comaromienſis. Csanadienſis. Csongradienſis. Gömörienſis. Heveſienſis cum Exteriore Szolnok Unitus.

Hon-

Hontenſis. Jaurinenſis. Kraſznenſis. Lyptovienſis. Maramaroſienſis. Mediocris Szolnok. Moſonienſis. Neogradienſis. Nittrienſis. Peſt, Pilis, & Sold Uniti. Poſonienſis. Sároſienſis. Scepuſienſis. Simeghienſis. Sopronienſis. Strigonienſis. Szabolcſenſis. Szaladienſis. Szattmárienſis. Tolnenſis. Tornenſis. Torontalienſis. Trenchinienſis. Thuróczienſis. Ugocſenſis. Ungvarienſis. Veſzprimienſis. Zarandienſis. Zemplénienſis. Zolienſis.

MACHOVIENSIS olim Banatus, & alii plures Comitatus per Turcam obtriti. Banatus *Temeſienſis* an. 1716. receptus.

COMITATUS in CROATIA & SCLAVONIA. Num. 7.

Criſienſis. Varasdienſis. Veröczenſis. Zagrabienſis. Zrebernicenſis. Poſegienſis. & Syrmienſis; quibus addunt aliqui: Modruſienſem, & Segnienſem.

LIBERÆ, REGIÆQUE, ac MONTANÆ CIVITATES defacto numerantur in Hungaria Num. 40.

Utpote: Alba-Regalis. Baka-Bánya. Bartpha. Bazinium. Bella-Bánya. Brezno-Bánya. Buda. Carpona. Caſſovia. Cibi-

Comaromium. Cremnicium. Debrecinum. Eperjeſinum. Felſö-Bánya. Gynſium, ſive Kôſzegh. Jaurinum. Keſmarkinum. Kiſs-Martonium. Leutſchovia. Libet-Bánya. Modra. Nagy-Bánya, ſive Rivuli Dominarum. Neo-Planta, ſeu Újvidék. Neoſolium. Peſtinum. Poſonium. Ruſth. S. Georgius. Schemnicium. Szathmár-Némethy. Sopronium. Strigonium. Szakolcza. Szegedinum. Trenchinium. Tyrnavia. Veteroſolium. Uj-Bánya. Zombor.

LIBERÆ, REGIÆQUE CIVITATES in CROATIA & SCLAVONIA. Num. 5.

Capronczа. Criſium. Segnia. Varasdinum, & Zagrabia.

PRINCIPATUS TRANSYLVANIÆ.

dividitur in *Comitatus* Hungaricos; & in *Sedes* Siculicales, ac Saxonicas.

Comitatus ſunt 7. Koloſienſis. Dobokaienſis. Szolnok interior. Albenſis. Tordenſis. Kûkôllôienſis, & Hunyadienſis.

Se-

Sedes Siculicales sunt æque 7. Marosszék. Vdvárhely-Szék. Csík. cum Gyergyó, & Kászon. Aranyos. & *Három-Szék*, quæ consurgit ex Szepsi, Kezdi, & Orbay.

Sedes Saxonicæ itidem 7. Medgyes-Szék. Szeges-Vár. Kôhalam. Nagy-Sink. Szeben. Száſz-Szebes. Száſz-Város.

His sedibus præsunt *Judices Regii.*

Nominatiores *Urbes*, & *Oppida*, in Transylvania sunt sequentia:

Alba-Carolina; olim Alba-Julia. Ungarice: Gyula Fejér-Vár; vel Károl-Vár. *Corona*; ungarice: Brassó. *Claudiopolis*; ung. *Kolosvár*. *Cibinium*; ung. Szeben; Sedes Gubernii. *Bistricia*: ung. Beszterce. *Media*; seu Medgyesinum. *Szeges-Varinum*. *Enyedinum*. *Agropolis*, ungarice: Maros-Vásárhely. *Fogaras*. *Torda*. *Saxopolis*; ung Száſz-Város. *Nagy-Sink*. *Berethalom*. Kolos-Szék. *Somlyó*. *Szent-Lélek*. *Kereszstes-Mezzeje*. *Vórós-Torony*. *Campus Panis*; ung. Kenyér-Mezzô. *Porta ferrea*; ung. Vas-Kapu. &c.

In

In *SCLAVONIA* intra Savum, & Dravum Fluvios; nec non in Comitatu *Syrmienſi*, præcipua loca ſunt ſequentia: Poſega. Valpó. Gradiska. Verovicze. Illok. Petro-Varadinum. Eszekinum. Carloviczium. Sirmium Raczka. & Szalenkamen.

Szigethum, & *Mohács* jacent in Hungaria circa Simeginum, & Quinque Eccleſias.

In *Dalmatia*: Portus Buccari cum Civitate ejusdem nominis; dein *Senia*, ſeu: Zeng. Comitatus item Lycenſis, & Corbavienſis, uſque nunc ſubſunt Coronæ Hungariæ.

Jaderam, ſeu Jadram; Sibenicum item, & Spalatrum cum pluribus aliis poſſidet Respublica Veneta. *Raguſa* vero, alias Respublica libera, defacto captiva tenetur ſub protectione turcica; uti & Jaicza; Banya-Luca. Zvornik. &c. trans Savum in *Boſnia*.

In *SERVIA* jacent: *Belgradum*; alias etiam Alba-Græca, & Taurunum dictum. dein: Niſſa: Semendria. Paſſaroviczium. Scopia. Procopia. Szabács. Ráma. Campus Merulæ; ſeu Rigó-Mezzô. &c.

In *VALACHIA*: Bucchereſt; ſedes

de-

defacto Vayvodæ Valachiæ. Campus longus. Piteſs. Tergoviſtum. Braczkovia. Remnik. Fluvius *Aluta* fere dividit Valachiam ab Ungaria, & Tranſylvania.

In *MOLDAVIA:* Choczin. Socava. Jaſſum, Reſidentia Principis Moldaviæ. Fluvius *Prutth*, permeat fere totam Moldaviam.

In *BULGARIA*; Vidinum. Nicopolis. Varna. Sophia. Siliſtria. Tomi. &c. quæ omnia olim ad Coronam Hungariæ poſſidebantur; nunc ſubjacent Portæ Ottomannicæ.

Atque hæc erant, quæ hac vice pro ratione Compendii communicanda judicavimus, tametſi fors non omnibus placitura, (quid enim tam perfectum in humanis? quod omnium guſtum expleat; aut quod invidia non corrumpat?) ad minus, quod fidenter aſſerimus, nemini obſutura.

SOLI DEO HONOR, ET GLORIA IN SÆCVLA! AMEN.

Quædam Errata in Chronologia Hung.

Sic corrige.

Fol. 40. lin. 19. *loco:* ſitam. *lege:* ſitum.
Fol. 115. *loco:* Fernandi. *lege:* Ferdinandi.
ibidem: *loco:* Galeatus. *lege:* Galeotus.
Fol. 117. *loco:* noterur. *lege:* notetur.
Fol. 120. lin. ult. *lege:* ſub Matthia II.
Fol. 134. lin. 3. *loco:* quorum. *lege:* quarum.
Fol. 139. *loco:* nno. *lege:* non.
Fol. 163. *loco:* Eccleſiæ. *lege:* Eccleſiæ.
Fol. 166. *loco:* aliquaudo. *lege:* aliquando.

In Appendice.

Fol. 32. *loco:* SZEPHANUS. *lege:* STEPHANUS.
Fol. 12. *loco:* Logum. *lege:* Locumt.
Fol. 42. *loco:* ſub Carolo V. *lege:* Carolo I.

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
6699-1913 napiszám

13
7
91
80
11
31

751032

751032